



**Responsio Johannis Piscatoris ad dictata Danielis Hofmanni,  
quibus Quaestiones illius rhetoricas de tropo in verbis sacrae  
coenae oppugnavit. Ad calcem quaestiones illae rhetoricae  
Piscatoris adjectae sunt.**

<https://hdl.handle.net/1874/432604>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>


**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

F. oct.

287





Contest. Hof  
wan Hof  
Kator









RESPONSIO *Ex dono Buchely*  
IOHANNIS PI-  
SCATORIS

AD

DICTATA DANIELIS HOFMAN-  
ni: quibus Quæstiones illius Rhetoricas  
de tropo in verbis sacræ Cœ-  
næ oppugnavit.

*Ad calcem Quæstiones illæ Rhetoricæ Pisca-  
toris adjectæ sunt.*



HERBORNÆ NASSOVIORUM  
Excudebat Christophorus Corvinus.

clō cl xcl

St. John's Hospital



JOHANNES PISCATOR  
CHRISTIANO LECTO-  
RI GRATIAM ET PACEM  
A DOMINO PRECATUR.

**Q**uibus ego causis motus,  
Christiane lector, commē-  
tati unculam meam de tro-  
po in controversis illis sa-  
cræ Cœnæ verbis in lucem  
ediderim, in præfatione il-  
lius exposui: videlicet partim rogatu ami-  
corum; partim quód bona spe fretus eram,  
fore ut simplici hæc propositarum á me  
questionum declaratione multi in vera de  
sacramento cœnæ sententia confirmaren-  
tur: nōnulli etiam ad veritatem in hac do-  
ctrinæ Christianæ parte intelligēdam non  
parum adjuvarentur. Et sané quó magis  
credam, non paucos duplicem illum fru-  
ctum ex libelli mei lectione retulisse; facit  
conatus antagonistæ mei Danielis Hof-  
manni: qui utrumque illum fructum Chri-  
stianis lectoribus invidens, & contraria sua  
sophismata defendere studens, refutatio-  
nem istius mei libelli in schola sua publicé

dictavit: quæ dictata é discipulis quidam  
 (si modó verum dicit præfatio) in lucem e-  
 didit: sed justissimis, ut ait, rationibus id ex-  
 gentibus: certó nimirum persuasus, fore  
 multos, qui rectiús instituti, de certitudine  
 veritatéque Calviniani dogmatis dubita-  
 turi sint: & ad illud omnipotens, veracissi-  
 mum, sapientissimumque Redemptoris no-  
 stri os reversuri. Hæc ille. Quasi veró Cal-  
 vinianum. (ut iste calumniosé appellat) do-  
 gma homines ab ore Christi abducat, aut  
 illius omnipotentiam, veritatem atque sa-  
 pientiam in dubium vocet: aut quasi do-  
 gma Hofmanni, quo tradit, corpus Christi  
 præsens esse cum pane sacrae Coenæ, ore  
 Christi pronunciatum sit.

Et si autem ego omne meum tempus in  
 sacris literis meditandis, & pro officii mei  
 ratione explanandis consumere malim,  
 quám aliquam eius partem sophismatis  
 contra simplicem veritatem acuté excogi-  
 tatis, enodandis atque diluendis tribuere:  
 tamen quia antagonista meus me ad hoc  
 certamen satis Thraſonicé, vel potiús Go-  
 liathicé provocat, & sibi ipse triumphum  
 ante victoriam canit: non puto mihi com-  
 mittendum, ut per meum silentium veri-  
 tati impuné insultetur, præsertim quum  
 authore



authore Apostolo, doctoris Ecclesiæ officium sit, non solum διδάσκειν, docere quæ vera & salutaria sunt: sed etiam τὰς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, eos qui veritati contradicunt, erroris atque falsitatis convincere. Quare confitui in nomine DOMINI ad Refutationem Hofmanni respondere, & sophismata eius atque calumnias diluere. Et quoniam præfatio illius, qui dictata Hofmanni in lucem edidit, affirmat: omnes<sup>cc</sup> bonos expectare à me animum veritatis<sup>cc</sup> constantissimæ pulcherrimæque cupidissimi<sup>cc</sup> num: faciam sanè ut omnes boni videant, me ingenuè cedere veritati, si quando adversarius vero clencho doctrinam meam redarguerit. Interim & ego vicissim ab omnibus bonis, ac in primis ab advertari discipulis peto: ut sophisticos præceptoris sui clenchos à me dilui æquo animo ferant: & controversiam hanc non ex placitis clarissimi doctoris, sed ex evidentibus rationum momentis ponderent ac dijudicent.



# INDEX CAPITUM.

## PRÆLUDIA TRIA.

- I De scopo meæ scriptionis.
- 2 De titulo mei libelli.
- 3 De methodo *Quæstionum* à me explicatarum.

## DE PRIMA QUÆSTIONE:

An in verbis Domini, *Hoc est corpus meum*, sit tropus.

- Cap. I. An ipsa questionis formula rectè sit cõcepta.
- II. An consistere possit demonstrationis meæ fundamentum, nempe hæc disiunctiva: *Quòd quicquid omnino dicitur, aut propriè dicatur, aut per tropum.*
- III. An in prosyllogismi mei propositione & subjecta appendice, vera genera locutionum propriarum, item vera earundem exempla à me sint proposita.
- IV. De prosyllogismi mei assumptione & conclusione: ubi conclusionis principalis vindicatio ab elenchis Hofmanni.
- V. An Hofmannus à refutatione mea bene vindicet argumentum, quod contra tropum petunt à consuetudine testamentorum. Item an locus Genes. 48. de testamento patriarchæ Iacobi, bene à me sit expositus.

## DE SECUNDA QUÆSTIONE:

Quisnam ille sit tropus.

- Cap. I. An quum res signata de signo dicitur, metonymia sit.
- II. An metonymia declaret genuinum sensum verborum Domini: & an unio Sacramentalis, sit substãtialis.

III. Duo contra metonymiam argumenta Hofmanni refutantur.

IV. Cur metonymia quæ statuitur in verbis Domini, appelletur Sacramentalis: & an vulgaribus metonymiis dissimilis sit.

V. An doctrina Piscatoris de significatione Sacramentali, pugnet cum doctrina Orthodoxorum de presentia corporis Christi in Cœna.

VI. An metonymia verborum Domini rectè sit à Piscatore demonstrata per exemplum locutionum Scripturæ de Circumcisione & de Agno paschali.

VII. Sophisma Hofmanni contra exemplum Circumcisionis allatum refellitur: ac simul differitur de usu Circumcisionis, itemq; Baptismi, in infantibus.

VIII. An doctrina de obfignatione fœderis per Sacramenta, sufficiens sit ad declarandum Sacramentorum naturam: & quomodo applicetur fœdus.

IX. An presentia corporis Christi cum pane, probabiliter concludatur ex collatione phrasium Scripturæ de Circumcisione & Agno paschali.

X. An Agni paschalis natura rectè sit declarata ab Hofmanno.

XI. Calumnia quædam Hofmanni commemorantur: & de Sacramentorum substantia ac fructu nonnihil differitur.

XII. In prædicatis enunciatorum Eucharisticorum metonymiam subjecti esse ostenditur.

XIII. De locutionibus Sacramentalibus veterum Ecclesiæ doctorum: & nonnihil de sumptione Sacramentali.

XIV. De hoc enunciato, Toga est pax: Sitne metaphoricum an metonymicum: & an Metonymia locum habeat in verbis.

XV. Expositio verborum Pauli de communione corporis & sanguinis Christi á Piscatore allata defenditur: & simul differitur, An Christus mortuus sit pro singulis hominibus.

XVI. An symbola sacrae Cœna, solis fidelibus testimonia divina gratia sint: & ibi explicatur locus 1. Corinth. II. de manducantibus indigné.

XVII. Expositio verborum Pauli de communione corporis & sanguinis Christi, iterum ac plenius á reprehensionibus Hofmanni vindicatur: & ibi rursus de sumptione Sacramentali, item de Spirituali & de Orali.

XVIII. Expositio verborum Domini de poculo á Piscatore allata, vindicatur ab elenchis Hofmanni: & falsa expositio Hofmanni refellitur.

XIX. Calumnia de intentione metonymiæ Piscatoris refellitur.

XX. Causa Hofmanni propter quas metonymiam non vult concedere, refutantur.

XXI. Errores quidam Hofmanni de analysi metonymiæ, & de sede metaphora in copula, deteguntur: item inconstantia in exponendo enunciato, Toga est pax: item inepta defensio synecdoches Lutheri.

XXII. An explicatio Piscatoris recté ab Hofmanno arguatur insufficientiæ: & an illa directâ sit contra presentiam corporis Christi cum pane: & an hæc opinio recté confirmetur testimonio Calvinii.

XXIII. Quis tradiderit; locutionem hanc Christi, Hic est sanguis meus, &c. similem esse illi Mosis, Hic est sanguis fœderis. Et an verba illa imperité vel oscitanter á Piscatore sint citata, & versio illa veteris interpretis reprehensa



XXIV. Argumenta Hofmanni, quæ ex istarum locutionum collatione promit, discutiuntur.

XXV. Cuius authoris sit illa synecdoche quam Piscator impugnavit: & reprehensionis Hofmannianæ inconstantia.

XXVI. Præsentia corporis Christi in pane realis atq; invisibilis refellitur.

XXVII. Quæ contra metaphoram à Piscatore disputata sunt, vindicantur & ampliùs declarantur: & calumnia de dissensione Piscatoris cū Symmystis diluuntur.

DE TERTIA QUÆSTIONE:

In qua voce tropus ille insit.

Præfatio, in qua author sententiam suam de sede tropi retractat: ac ostendit, tropum (videlicet metonymiam subjecti) non esse in copula, sed in prædicato enunciatorum Eucharisticorum.

Cap. I. Argumentum Piscatoris quod attulerat pro tropo in copula, discutiitur: itemq; reprehensiones Hofmanni contra illud allatae examinantur.

II. Argumenta Hofmanni contra copulæ metonymiam allata examinantur.

III. Aliæ reprehensiones Hofmanni contra metonymiam Piscatoris allatae discutiuntur: & ad syllogismum ejus respondetur.

IV. Vitium argumentationis Piscatoris pro metonymia copulæ indicatur: simulq; vitiosi elenchi Hofmanni ostenduntur.

V. An copula EST rectè appelletur συγκαταληχόμενον: & an sit pars enunciati.

VI. An explicatio Piscatoris explicationi Calvini ad-versetur.

INDEX CAPITUM.

VII. De exceptione quam attulit Piscator contra ratiocinationem Hofmanni ab exemplo columbae: & ibi de praesentia Dei singulari secundum essentiam.

VIII. An corpus Christi in nos agat: & quo sensu caro Christi dici possit vivifica.

IX. An verbis Domini, Hoc est corpus meum, significetur aliqua corporis Domini cum pane praesentia.

FINIS INDICIS.





I  
AD DICTATA HOF-  
MANNI RESPONSIO  
PISCATORIS.



Ntequam ad rem ipsam ac- Præiudicia  
cedat adversarius, tria quæ- tria.  
dam in me ac libello meo re-  
prehendit: scopum scriptio-  
nis, titulum libelli & metho-  
dum. De scopo dicit: Studi-  
um illud meum thesibus su-

I De scopo  
meæ scri-  
ptionis.

“ Pag. 1.

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

“

is refutandis, imó veritati opprimenda dica-  
tum esse. item, Ut assentatori meo Beze vicissim  
palpam obtruderem, me illi cōtroversia pal-  
mam adversus ipsum decernere voluisse. deni-  
que, Beza (inquit) haud dubiè Piscatorem ideo  
sua persona induere voluit: ut in quibus antea  
succubisset ipse, hic bellum instauraret, &  
quacunq; posset ratione, prostratum vindi-  
caret. Quod dicit, studium illud meum thesi-  
bus suis refutandis dicatum esse, verum est ex  
parte. Neque enim propositum mihi fuit, the-  
ses illius vel solas, vel per omnia refutare: sed  
tantum pauca illa quæ attigi; ut quæ doctrinæ  
à me propositæ in primis adversarentur, & pro-  
pter inventionis novitatem refutatione digna  
videbantur: nempe in universum hæc quatuor:  
primum de discrimine inter Unum pro altero po-  
ni, & Unum de altero predicari: secundum de me-  
taphora in propositione hac, *Toga est pax*: ter-  
tium de copula *Est συνηθηγομεν*; quartum de-

“ Pag. 2.

Pag. 9. libel-  
li mei.

Pag. 11.

Pag. 15.

Pag. 17.

nique de exemplo columbæ symboli Spiritus sancti præsentis. Præter hæc autem quæ in thesibus Hofmanni instituto meo adversari videbam, refutavi etiam aliorum sophismata, quæ in Thesibus illis non habentur: ut est sophisma eorum, qui ut possint negare, in verbis Domini per pronomen *Hoc* demonstrari panem, itemque poculum: dicunt, Paulum quum in verbis Domini mutat subjectum, mutare quoque prædicatum. Item sophisma eorundem, quum dicunt, Profsus similem loquendi rationem esse in verbis Domini ( prout ipsi citant ex vulgari versione ) *Hic est sanguis meus novi testamenti*, &c. Matth. 26. v. 28. & in verbis Moïsis ( prout in eadem vulgari versione habetur ) *Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum*: Exod. 24. v. 8. Præterea sophisma eorundem, quum contendunt, pronomen *Hoc* in verbis illis Domini referendum esse ad quippiam ex pane Eucharistico & corpore Domini compositum, ita tamen ut principaliter ad corpus Domini referendum sit. Ad hæc refutata quoque à me est opinio eorum, qui in verbis illis Domini metaphoram ponunt. Unde jam clarè liquet, non esse simpliciter verum quod affirmat Hofmannus, Studium illius meæ scriptionis thesibus suis refutandis dicatum esse.

Quòd autem addit, dicatum esse hoc meum studium veritati opprimendæ: iniquum malevoli animi convitium, non rectum charitatis Christianæ iudicium est. Charitas enim, teste Apostolo, omnia credit, omnia sperat. Quare  
 si Hof

si Hofmannus charitate Christiana me completeretur: crederet me, ut profiteor, veritatis ampliolem declarationem quærere: etsi interim salva charitate judicaret, me, quod quærerem, non invenire.

Sed pergit, & dicit, me voluisse palmam controversiæ adversus ipsum decernere Bezæ: ut vicissim palpum ei obtruderem, assentatori scilicet meo. At unde tibi, Hofmanne, de hac mea voluntate constat: Ex eo nimirum, inquires, quod hæcenus Bezam contra me disputantem adjuvisti. Etenim animadvertens ubi hæreret ille, monuisti quem superiorem malebas, de quibusdam: sicut ipse Beza confitetur in Conspicillo. Ego verò, ne hic erres, narro tibi, planè me eadè re, cujus Beza in Conspicillo mentionem facit, monuisse illum, quum de vestra mihi controversia nondum constaret, adductum à lia quadam occasione. Quare tu illius meæ commonefactionis causam falsam comminisceris. Sicut & illa falsa suspicio est (ne quid gravius dicam) quod putas, aut certè confidenter affirmas, Bezam sua persona voluisse me induere, ut in quibus antea succubisset ipse, ego bellum instaurarem, & quacunque possem ratione, prostratum vindicarem. Ad hæc omnia uno verbo respondeo, falsa esse: neque contrarium abs te posse ostendi.

Sed pergamus. Titulus (ais) non solum mihi displicet, sed ne quidem auctori probari potuit: quum ipse subjungat apologiam, testem nimirum vellicatæ conscientiæ. Egregia verò

Pag. 1.

Pag. 2.

2. De titulo  
mei libelli.

Pag. 3.



probatio! quasi scilicet omnis apologia, vellita  
 conscientiae testis sit. quid enim? nonne  
 omnis prolepsis apologia quaedam est? at quot  
 existant prolepses in optimis scriptoribus, ac  
 nominatim in scriptis Apostoli Pauli? num igitur  
 dices, totidem esse testes vellitae conscientiae?  
 Absit. quin potius dicamus quod res est,  
 iustas & graves esse posse apologiarum causas.  
 At, inquires, tales non sunt, quas tu adfers. Au-  
 diamus, igitur quid tu contra disputes. Quae-  
 stiones á me ad explicandum propositas nomi-  
 navi Rhetoricas: causam inscriptionis hanc  
 attuli, quod sint de tropo, in verbis illis Domi-  
 ni, *Hoc est corpus meum* &c. Quid tu contra? Quae-  
 stionem, inquis, de tropo constantem, Rhetor-  
 icam esse non negatur. Bene, inquam. Nunc  
 assumo: quaestiones illas á me propositas, de  
 tropo constare: ut liquet. quid? nonne hinc  
 jam firmiter concludo: Quaestiones illas, vel te  
 iudice, Rhetoricas esse? Verum, inquis, in hoc  
 graviter peccari manifestum est, quod contro-  
 versiae hujus circa verba Domini agitatae expli-  
 cationem, *sepositare mysterii*, á praeceptis Rhetor-  
 icis pendere dicit Piscator. Ubi veró ego hoc  
 dico, rem mysterii in hujus controversiae expli-  
 catione esse seponendam? Imó dico, has quae-  
 stiones non nisi á Theologo (ac proinde my-  
 sterii hujus intelligente) posse explicari. Inte-  
 rim tamen rectè dixi, has quaestiones non esse  
 de ipsa re mysterii, sed de locutione quadam,  
 qua Dominus in mysterio hoc edocendo est  
 usus. Quare calumnia est, quum me exagitas,  
 quasi

quasi explicationem sacrorum mysteriorum alligarem ad præcepta humana. neque enim dico, explicationem sacrorum mysteriorum pendere à præceptis Rhetoricis: sed hinc pendere dico explicationem propositarum à me quaestionum de tropo in verbis Cænæ.

At apologia Piscatoris (inquis) ex meris antilogiis conclusa est: Modò ait, quaestiones institutas de re Theologica, modò negat quaestiones esse de re ipsa: Fateatur, quaestiones has non nisi à Theologo explicari posse, & tamen eas Rhetoricas vult appellari, quoniam earundem explicatio à præceptis Rhetoricis dependeat. At, inquam, si calumniari nolis, videbis hinc nullam antilogiam esse. nam verba illa in principio præfationis, *Quum tamen instituta sint de re Theologica*: satis apparet à me dicta esse ex opinione vulgi, quod non ita subtiliter inter res discernit. Sunt enim illa ipsa verba objectionis. Quòd autem in responsione nego, quaestiones has esse de re ipsa: id ex meo sensu dico, atq; hoc ipso iudicium vulgi in objectione allatum improbo. Quòd autem fateor, quaestiones has non nisi à Theologo explicari posse, & tamen Rhetoricas eas appellari volo; nulla hinc quoq; antilogia est. nã quum in sententia Theologica, quaestio incidit de modo loquendi, tum Theologum Rhetorem agere oportet. Sed per me licet, appellentur hæc quaestiones sive Rhetoricæ, sive Theologicæ: vel etiã Rhetorothologicæ aut Theologorheticæ: dumodò & ex Theologicæ & ex Rhetoricæ præceptis rectè ac verè explicetur.



Pag. 5. » At ais: Quæstio ista ( An sit tropus in verbis  
 & 6. » Cœnæ ) non est Rhetorica, sed potius Dialecti-  
 » ca. Etsi enim de tropo quæritur, qui est Rhetorica:  
 » tamen tantum á Dialectico inquiri potest: & quia ante certam declarationem tam  
 » præsumitur quod non sit, quam quod sit, Rhetoricae *πραγματεία* tota hinc cessat, donec Dialecticus  
 » thema expedierit, & Rhetoricae materia constet. At, inquam, supra concessisti, quæstionem de tropo constantem, Rhetoricam esse:  
 » & nunc concedis, in proposita quæstione de tropo quæri: Quomodo igitur negas, quæstionem istam esse Rhetoricam? Item quæro ex te:  
 » Nonne si quærat de argumentis sive notionibus Logicis, ex quibus sententia illa Domini constat, quomodo scilicet subjectum ad prædicatum se habeat, Logicæve affectum sit: an ut  
 » causa ad effectum, vel contrá: an ut subjectum ad adjunctum, vel contrá: & ita de reliquis argumentorum generibus: nonne, inquam,  
 » talis quæstio erit Dialectica: idque propterea, quod argumenta, de quibus quæritur, Dialecticæ sunt? Non negabis, opinor. Quomodo  
 » igitur negas, Rhetoricam esse quæstionem, qua quæritur de ejusdem sententiæ tropo: quum tamen tropum, Rhetoricæ esse concedas? At  
 » quæstio illa, inquis, potius Dialectica appellanda est: quia tantum á Dialectico potest inquiri. At, inquam, sic omnes quæstiones, Dialecticæ  
 » appellandæ essent: quia inquirere argumenta ad quæstionis propositæ explicationem, Dialectici munus est. Nec verum est, quæstionem  
 » illam,

illam, An sit tropus in verbis illis Domini, á solo Dialectico posse inquiri. Et si enim explicator é hujus quæstionis (sicut omnino omnem disputatorem) Dialecticum esse oportet: tamen qui de tropo recte judicare ac differere velit, eú simul oportet esse Rhetorem: ac proinde quæstionem illam decidet non solúm ut Dialecticus, quærens argumentum á definitione: sed etiam ut Rhetor, definitionem tropi in medium afferens. Porro in altero enthymemate, quod priori attextis, nullam equidem rationem consequentiæ, nullamq; sententiarum connectionem cohærentiamve video. Ante declarationem quæstionis, An sit tropus in verbis Domini, tam præsumitur (inquis) quód non sit, quam quód sit: ergo híc tota Rhetoricæ *πραγματεία* cessat, donec Dialecticus thema expedierit. Imó, inquam, thema hoc expedire seu quæstionem istam declarare, non est Dialectici quatenus Dialecticus, sed quatenus Rhetor. quippe quum quæstio illa declaratur ex definitione tropi, qui Rhetoricæ est. Et, si præsumtio illa impedit *πραγματείαν* Rhetoricam: parí ratione impiedet *πραγματείαν* Dialecticam. Qui enim in præsumptione sua acquiescit, is non dignatur diversum inquirere, ullo modo, ulliusve artis beneficio. Quód autem híc adis, Dialecticum non enuntiationem solúm, verúm & prædicationem considerare: si hoc, ut hujus loci quæstio postulat, & ut ex ipsa antithesi colligitur, intelligis de prædicandi modo, nempe si ne prædicatio propria, an figurata

seu tropica: rursus dico, hoc considerare non esse Dialectici quatenus Dialecticus, sed quatenus idem Rhetor est. Quare vulgò distinctio illa prædicationis loco non suo in Dialectica traditur: quum sit ἑτερογενής: quippe ad Rhetoricam propriè pertinens. Sed hæc hætenus de titulo sive inscriptione satis disputata sint.

De metho-  
do quaestio-  
num à me  
explicatarū.  
Pag. 4.

Jam ad methodum quod attinet: Quid absurdius (ais) & magistro Rameæ disciplinæ in inquisitione veritatis indignius, quam methodum deserere eam, quam verè optimam prædicavit Ramus, à notioribus nimirum exordientem? Ego vero hanc methodum à me observatam ajo, & clarè demonstro. Proposui ad explicandum quaestiones tres: primam, *An in verbis Domini controversis sit tropus*: secundam, *Quisnam in eis sit tropus*: tertiam, *In qua voce tropus ille insit*. Has quaestiones ita inter se dispositas esse dico, ut procedatur à generalibus ad specialia, ac proinde à notioribus ad ignotiora. nam certè generalior est notitia, qua quis novit, tropum aliquem in illis verbis esse; quæ notitia scopus est quaestionis primæ; quàm nosse, illum tropum esse metonymiam: quod ostenditur explicatione quaestionis secundæ: ac rursus generalior est notitia, qua quis novit, in verbis illis esse metonymiam: quàm nosse, in qua voce metonymia illa suam habeat sedem: id quod inquiritur quaestione tertia. Et hæc methodus ita clara est, ut tu ipse non potueris eam dissimulare. Etenim post quinque folia ais, me fortasse



fortasse regeſturum, quod ſingularum vocum Pag. 13. & 14.  
 æſtimationem attinet, me eam quæſtione ter-  
 tia obſervaffe: ad quam tum demum mea me-  
 thodo delatus ſum, quum primùm de generali  
 affectione prædicationis tropum arguente,  
 poſtea de ſpecie tropi, & denique de verbo ſu-  
 ſtinnente eum, quærere voluerim. Sanè ita vo-  
 lvi: & rectè atque legitimè volvi: ut omnes  
 Dialecticæ periti intelligant.

Sed videamus, quid Hofmannus contra dif-  
 putationis meæ methodum afferat. Quum de Pag. 4.  
 verborum Domini explicatione agatur: (in-  
 quit) quid prius occurret interpreti textu Do-  
 mini? & quid notius ſperabitur, de verbis ni-  
 mirum myſterii, ipſa declaratione auctoris?  
 Confundis hic, Hofmanne, Methodum cum  
 inventione. Nam declaratio auctoris in textu  
 Inſtitutionis comprehenſa (videlicet clauſula  
 illa, *Quod pro vobis datur*) nihil facit ad methodũ  
 proſitarum à me quæſtionũ, ſed facit ad in-  
 ventionem argumenti, quod adferri ſolet ad  
 tertiæ quæſtionis explicationem, videlicet con-  
 tra ſedem tropi in prædicato: qua de re ſuo di-  
 cemus loco. Sed pergis: Quid porró vanius eſt  
 (ais) labore hoc Piſcatoris, Rhetoricas quæſti-  
 ones proponentis, iisq; deciſionem graviffimè  
 litis deferentis, antequam demonſtret à natura  
 prioribus devolvi illam partem ad Rhetoricã?  
 Ego verò quæſtionum proſitarum deciſio-  
 nem pertinere ad Rhetoricam, demonſtravi  
 in præfatione ex eo, quòd explicatio earum à  
 præceptis Rhetoricæ dependet: videlicet à



definitione tum tropi in genere; tum in specie, metonymiæ.

Pag. 4. 5. 6 &  
7.

Sed Hofmannus pergit, & de methodo variæ considerationis verbosè cōmentatur: primò omnium considerandum quid dicatur: (id quod videtur intelligere de sensu verborum Grammatico;) deinde post hanc cognitionem, Dialecticæ partes proximè subvenire: ac si jam cōstiterit quòd sensus genuinus ferat tropum, tum demum adscisci Rhetoricam ut tropum explicet. Verùm hæc ut illi concedantur: tamen nihil faciunt contra methodum quæstionum à me propositarum.

Pag. 7.

Ejusdem generis est quod nugatur paulò post, ubi ait: Si legibus Rameis agere voluisset, dixisset apertè: primarias quæstiones de verbis Domini, esse Theologicas, easque minimè seponendas, sive Dialecticus sive Rhetoricus interveniat, sed ante omnia illas pertractandas: secundarias verò esse Dialecticas, easque demum inventum tropum tradere explicandum Rhetorico: atque sic extrema & viliori ex parte, quæstiones de verbis Domini fieri Rhetoricæ. Verùm prima & potissima præcidit & c. Nuga, inquam. Quasi verò mihi propositum fuerit, aut propositum esse necessàriò debuerit, omnes de Cœna Domini quæstiones pertractare! quasi non expressè proposuerim tantum quæstiones, easque omnes Rhetoricæ: idque methodo legitima, quam Ramus ex Aristotele tradit: nempe progrediendo à generalioribus ac notioribus ad specialiora atque igno-

tiora,

tiora, ut supra est ostensum. Quare quæ antagonista hic attexit de violatis à me legibus eruditionis & veritatis, de observato veteri Sacramentarium artificio fraudulento & insidioso, aliaque his similia: meræ malevoli convitiatoris calumniæ sunt. Pag. ead.

Quale etiam est postremum illud de usurpata à me crypsi methodi: quod & ipsum adhibitis convitiis calumniosè amplificat. At ego jam supra ostendi, me methodo legitima artis in quæstionibus meis disponendis usum esse. quare crypsis hic nulla est, nec ullum fallendi execrandum studium: sed studium laudabile veritatem perspicuè docendi. Pag. ead. & 8.

Quòd autem interferit scomma de nocturno & vano labore Petri, inane convitium est: quum nondum ostenderit, me præter verbum Dei laborem hunc meum suscepisse. Sed illud egregium est, quod ait, deterreri me ab hoc titulo & instituto debuisse monitu quæstionis meæ primæ, An sit tropus. Quid ita, inquam? Cum hic, inquit, aqua hæserit Bezæ: unde Piscator scire debuerat, circa hanc quæstionem controversiam subsistere, hujusq; decisionem primò omnium expectandam esse. Egregia verò ratio! Nam fac ita esse, ut tu confidenter tuo more affirmas: num idcirco aliis non licet, quæstionem illam considerandam suscipere? Pag. 5.

## DE PRIMA QUÆSTIONE,

An in verbis Domini, *Hoc est corpus meum*, sit tropus.

CAPUT I. *An ipsa quæstionis formula rectè sit concepta.*

Pag. 8. 9. &  
10.

**H**ic primò omnium ostèdere conatur antagonista; imperitè atq; etiã fallaciter, à me quæstionem sic formatam esse: an tropus sit *in illis Domini verbis*, *Hoc est corpus meum*: quum scilicet illa sint conjuncta: tropus verò (ut Ramus in sua Rhetorica tradit) non sit in verbis conjunctis, sed in singulis. At pervertit hic calumniator sensum verborum meorum. hoc enim sentio, *An in aliquo ex illis verbis sit tropus*. id quod me sentire planum est cuius candido æstimatori, ex collatione quæstionis tertiæ: ubi quarto, *in qua voce tropus ille insit*. Quare quæ hic adduntur ad istud vitium reprehendendum, meræ calumniæ & inania convitia sunt: ut quòd negat, me amore veritatis ad hoc scriptum accessisse: quòd negat, me candidè agere: quòd affirmat, me voluisse fallere: sed astutiæ oratoricæ oblitum, turpiter me dedisse: & quòd negando huc citat locum Antonii ex Cicrone: quòd ait, si observassem Antoniana illa, me plures capturum fuisse in cauros: sed Deum voluisse me citiùs confusum: quòd oscitantiam, eamque pudendam, mihi exprobrat in negligenda disciplina Rhetorica Rami: item quòd mihi tribuit probrosum crimen, ut qui hanc quæstionem tractandam suscepim ad fallendum



dum in doctrina Christi: item quod mihi ob-  
 jicit, egisse me impudenter: quod præter stu-  
 dium occultandi in initio hamum (*Facetè scili-  
 cet*) postea fallere non verear apertius: quum  
 ad quæstionem respondeam de locutionibus.  
 At ut superiora illa mera, eaque inanissima  
 convitia sunt, ut ex dictis patet: ita postremum  
 illud falsa ratione munitur. Dicis, *me fallere a-  
 pertè*. quid ita? inquam. *Quia, inquis, ad quæstio-* Pag. 10.  
*nem respondes de locutionibus, atque ita affectionem  
 tropi in verbis singulis, quam interrogatio præ se ferre  
 videbatur, cum affectione locutionis confundis.* Quid  
 audio? num igitur interrogatio seu quæstio à  
 me proposita, affectionem tropi in verbis sin-  
 gulis præ se ferre videbatur? Bene habet. Cur  
 ergo tu calumniaris, me quæstione illa signifi-  
 casse, tropum esse in verbis conjunctis, quate-  
 nus nimirum conjuncta? Attamen, inquis, tu  
 tandem apertè hoc facis: dum tropum in locu-  
 tionibus ostendere conaris. Quasi verò, licet  
 tropus in una tantum voce sit, non rectè tamen  
 dici possit, esse locutiones quasdam tropicas,  
 & alterum de altero per tropum dici! Quid e-  
 nim prædicatio tua figurata (quam tu sic cum  
 vulgo nominas) aliud est, quam locutio tro-  
 pica? ut quum dicitur, *Herodes est vulpes*: & ta-  
 men tropus est tantum in voce *Vul-*  
*pes*: sicut suo loco fusiùs  
 disputabitur.



CAP. II. An consistere possit demonstrationis  
meæ fundamentum, nempe hæc disjunctiva:  
*Quòd quicquid omnino dicitur, aut propriè  
dicatur, aut per tropum.*

Sed hæc hæctenus de ipsa quæstionis à me  
propositæ formula: jam ad decisionē illius  
quod attinet, conatur adversarius primò omni-  
um evertere probationis meæ fundamentum.  
Etenim ad quæstionem propositam respondi  
affirmando, meamque affirmationem hoc syl-  
logismo probavi:

*Verba illa, aut propriè dicta sunt, aut per tropum.*

*Non autem propriè.*

*Per tropum igitur.*

Hujus syllogismi propositioni substruxi  
hoc fundamentum: *Quòd quicquid omnino dicitur,  
id aut propriè loquendo, aut per aliquem tropum dici-  
tur.* Hoc axioma adversarius negat esse *κατὰ πав-  
λὸς*, id est, omnino necessariòq; verum. Ac pri-  
mùm *veritatem illius ne philosophicè quidem constare  
dicit.* quasi dicat, Multò minús Theologicè: sic-  
ut ipse paulò pòst declarabit, ubi de enuntia-  
tionibus Theologicis, quas inusitatas nomi-  
nat, differet. Sed quæ est ratio consequentiæ  
in ista imparium comparatione? Num igitur  
sacræ literæ non utuntur ratione loquendi in  
rebus humanis usitata? Sanè Hofmannus ita  
opinatur: ut paulò pòst videbimus: sed istam  
ejus opinionem suo loco refutabimus. Nunc  
videamus, quam exceptionem contra axioma  
illud disjunctum afferat. *Est, inquit, Aristoteli  
quod-*

Pag. II.

Pag. ead.

dam genus vocabulorum, quod κατὰ τὸ πρῶτον καὶ ὑ-  
 σερῶν appellat: neq; censet appellandum synonymum,  
 neque homonymum simpliciter: quum illis vocabulis  
 neq; unum, neque multa simpliciter significentur.

Hæc objectio ut & ipsa melius intelligatur,  
 & expeditius à nobis possit refutari: primò de-  
 finitione genus illud vocabulorum declaran-  
 dum deinde exemplis illustrandum est. Igitur  
 vocabula κατὰ τὸ πρῶτον καὶ ὑσερῶν, id est, secun-  
 dùm prius & posterius, item ἀφ' ἐνός, id est, ab  
 uno, denique πρὸς ἓν, id est, ad unum, à Peripa-  
 teticis appellantur (sicut clarissimus Philoso-  
 phus Jacobus Schegkius in Sextum Topicorū  
 definit) quibus principale quiddā, & multa de-  
 inceps alia respectu hujus principalis, ordine  
 quodam significantur. Hujusmodi vocabula  
 sunt, *Ens*, *Anima*, *Amicitia*. Etenim vocabulo *En-  
 tis*, principaliter significatur Substantia, ut quæ  
 sit ἀυδὺ πρῶτα, per se subsistens: deinde eo-  
 dem vocabulo significantur etiam Accidentia,  
 sed secundariò, tanquam ἐπερὸύ πρῶτα, in alio  
 (videlicet in ipsa substantia) subsistentia: ac in  
 his ipsis certi gradus sunt, ordine quodam alius  
 alium consequentes: puta, quantitates, quali-  
 tates & reliqua. Sic *Anima* vocabulum sub se  
 tres species, gradibus nobilitatis inter se diffe-  
 rentes, continet: videlicet animam hominis, a-  
 nimam bestię, & animam plantę. Similiter *A-  
 micitia* nomen tres sub se species continet: vi-  
 delicet amicitiam, quam vocant honestam; de-  
 inde quam utilem; tum quam jucundam: de  
 quibus differit Aristoteles lib. 8. Ethicorum ad

Nicomach. cap. 3. Atque ex illis principalis est, quæ dicitur honesta: propter cuius similitudinem aliquam alteræ quoque duæ nomen Amicitia obtinent, ut ibidem docet Aristoteles cap. 4. Hisce ita expositis atque declaratis, videamus nunc quam vim habeat allata obiectio. Hoc vocabulorum genus (ait antagonista) neque synonymum, neque homonymum simpliciter appellandum censet Aristoteles. Quid tum? inquam. num hinc sequitur, eum censere, vocabula ista de suis speciebus non propriè loquendo, seu in nativa significatione, dici? Non puto: & si ita censeret, manifesta veritas eum refelleret. nam ut exempla paulò ante à nobis allata parumper consideremus: etsi quantitates, qualitates cæteraque accidentia non sunt tam nobilia Entia, ut Substantiæ: tamen verè *sunt*, & dicuntur *esse* propriè loquendo: licet eatenus *sint*, quatenus in Substantiis sunt, non autem per se subsistunt, ut illæ. Similiter etsi nobilissima animarum est humana: tamen anima bestia, itemque anima plantæ hoc nomine appellatur propriè loquendo: quippe quum illæ animæ non minùs animent ac vivificent suum quæque corpus, atq; anima hominis: licet hæc vivificet nobiliore modo, videlicet non solùm vegetando, ut anima plantæ; aut etiam tribuendo sensum ac motum, ut anima bestia: sed præterea intelligendo ac ratiocinando. Eadem est ratio vocabuli *Amicitia*. Amicus enim propriè loquendo, & nativa significatione appellatur, qui alterum amat & vicissim



cissim ab eo amatur: sive amor ille ex consideratione virtutis, sive utilitatis, seu denique voluptatis sit ortus. Liquet ergo nunc, exceptione istius generis vocabulorum, axioma nostrum disjunctivum non labefactari: quum illa ad prius disjunctionis membrum, id est, ad ea quæ propriè seu in nativa significatione dicuntur, pertineant.

Sequitur nunc ut consideremus objectionem alteram, quam Hofmannus contra eandem illam Disjunctivam adfert. Eius summa est, *quòd Theologus habeat singulares predicandi modos præter philosophicos: quippe quòd in Theologia occurrant res universæ natura universam copiam excedentes, & à modis illarum omnibus longè alienæ: item diserta indicatione Theologica mysticum modum habentes.* Atque hinc valde sese jactat antagonista, meque ad congressum provocat, & periculum facere jubet, quomodo hanc sibi clavam extorqueam: & quoniam hanc objectionem in meo libello non attingi videt: satis petulanter mihi tanquam pisce magis muto insultat, & nescio quam coaxationem exprobrat. Ego verò convitia ista & gloriationes pueriles, & Doctorem Theologum minimè decentes, nihil moratus, dico committi hinc fallaciam, quam vocant Consequentis. Neque enim sequitur: Res ipsæ quæ in Theologia & in sacris literis traduntur, excedunt res naturales, de quibus Philosophi disputant: Ergo res illæ sublimes

Pag. 13.

Pag. 12.



traduntur peculiari modo loquendi, qui in rebus naturalibus non sit usitatus. quippe quum fieri possit ut res maximé sublimes ac cœlestes eodem loquendi modo enuntientur atque exponantur, quo humiles & terrenæ: sicut etiam eodem modo disserendi & ratiocinandi. Et sané utrumque fieri in sacris literis, exre ipsa planum est. nam (ut rem exemplo declaremus) nonne Apostolus magnum mysterium esse pronunciat conjunctionem illam Christi spiritualem cum Ecclesia? At mysterium hoc ibidem exponitur modo loquendi in rebus humanis usitato, eoque tropico: quatenus Christus comparatur marito seu sponso, Ecclesia veró uxori seu sponsæ: item quatenus ille comparatur capiti, ista corpori. quó etiam pertinet, quod Christus ipse discipulis ait Johan. 15. *Ego sum vitis illa vera, & Pater meus agricola est: vos palmites.* An non ex his locis claré perspicitur, mysterium illud spiritualis conjunctionis Christi cum Ecclesia, modo loquendi usitato ab ipso Spiritu sancto exponi? Quare fallitur Hoffmannus, quum ex discrimine rerum divinarum & humanarum discrimen de illis loquendi statuit. Quód autem hoc loco infamem negligentiam mihi impingit, eó quód in libello meo objectionem istam præterii: valde iniqué mecum agit, & falsa hypothese nititur: quasi scilicet in libello meo propositum mihi fuerit, aut esse debuerit, respondere ad omnia quæ ipse contra suum adversarium in medium attulit. Verúm de descriptionis meæ scopo  
in prin-

Eph. 5.

V. 25. 27. 29.

V. 33.

Pag. 13.

in principio, quantum satis erat, admonui.

Deinceps Hofmannus prolepsin instituit, Pag. 13. & 14.  
 & animadvertit se quæstionis à me propositæ formulam, immeritò reprehendisse, ut qui in quæstione tertia singularum vocum considerationem instituerim: item opinionem quoque suam de prædicationibus inusitatis me refutasse, quatenus exemplis declararem, proprias prædicationes esse, quas ipse singulares & inusitatas fecerit. Sed contra primum excipit, considerationem illam non esse adhibitam in loco, quod si maximè ita se haberet, tamen satis esset ad arguendum inconstantiam adversarii: ut qui nunc fateatur, quod antea negavit; nempe tropum in una aliqua enunciati controversi voce à me poni. Verùm suo loco quæstionem illam tertiam à me positam esse, in principio, quum de methodo dicerem, ostendi: & sanè legitimam trium illarum quæstionum methodum adversarius hoc loco ipse ultro declarat. Alterum verò illud de refutatione prædicationum inusitatarum ita reprehendit: *Non rectè à me opponi propriè & per tropum dicta, quasi immediatè necessaria membra oppositionis: se enim distinguere inter proprietatem vocum & proprietatem prædicationis: quarum illi tropum opponi concedit, huic non item. Vocum proprietas, inquit, est uniuscujusq; nativa significatio: proprietas autem prædicationis non tam in ratione vocum, quàm modorum prædicandi consistit.* At, inquam, prædicatio propria ea nominatur, cujus prædicatum vel copula accipitur in significatione nativa, ut

quum dicitur, *Herodes est astutus*, *Vos Corinthii nondum estis regnum adepti*. unde perspicitur, propriam prædicationem nominari respectu unius vocis, videlicet prædicati vel copulæ: ac proinde non minus illi opponi prædicationem tropicam, cujus scilicet prædicatum vel copula accipitur per tropum: ut quum dicitur, *Herodes est vulpes*, *Vos Corinthii estis regnum adepti*: quam alias tropus opponitur proprietati vocis extra prædicatum positæ: ut quum Christus de Herode loquens, ait, *Dicite vulpi illi*: Luc. 13. 32. Nec verum est, proprietatē prædicationis consistere in modis prædicandi, puta quinq; illis quæ prædicabilia vocantur: etenim in iisdem modis tropica quoq; prædicatio locum habet: ut in exemplis modo allatis unus & idem prædicandi modus est tã in tropica hac prædicatione, *Herodes est vulpes*, quam in illa propria, *Herodes est astutus*: utrobique enim prædicatur accidens de subjecto, & utriusq; enuntiati unus idemque est sensus.

Pag. 15. Sed Hofmannus redit ad veterem cantilenam: & mæ disjunctivæ rursus opponit prædicationes quas vocat singulares. Ac proinde distinctionem illam prædicationis in propriam & figuratam (quam in sua Dialectica tradit Philippus) emendare conatur ad hunc modum: *Prædicatio, inquit, aut propria est, aut impropria: Impropria rursus aut usitata est aut inusitata. Usitatam impropriam dico (inquit) que per tropum Rhetoribus usitatum figurata est, & declaratione reduci potest ad propriarum aliquam: inusitatum appello, que nec tropum*



*tropum fert, nec modo usitato cognitoq̄, explicabilis est, aut ad modos proprios congruit. Hæc ille. Verum enimvero de prædicationibus inusitatis quas Hofmannus nominat, paulo post commodior erit dicendi locus, ubi exempla earum afferet. Nunc verò utamur gladio antagonistaæ ad ipsummet jugulandum.*

Cōtrovertitur inter nos, an prædicatio hæc, *Panis Cœnæ est corpus Christi*, sit usitata. Ego affirmo, Hofmannus negat. At ego affirmationem meam ex ipsis Hofmanni præceptis sic probo:

*Prædicatio quæ per tropū Rhetoribus usitatū figurata est, & declaratione reduci potest ad propriarū aliquā, est impropria usitata: auctore Hofmanno.*

At (assumo ego) *prædicatio hæc, Panis Cœnæ est Corpus Christi, per tropū Rhetoribus usitatū, videlicet metonymiā, figurata est: & declaratione reduci potest ad propriarū aliquam, nempe ad hæc, Panis Cœnæ est signū corporis Christi.*

Cōcludo: Ergo hæc prædicatio est impropria usitata.

Assumptionē Hofmannus pertinaciter negat: ego verò illius veritatem suo loco asseram.

C A P. III. *An in prosyllogismi mei propositione & subjecta appēdice, vera genera locutionum propriarum, item vera earundem exempla à me sint proposita.*

**H**Actenus duo quædam à reprehensionibus adversarii vindicavi: primò ipsam formulā propositā à me quæstionis, nempe, *An in verbis Domini, Hoc est corpus meū, sit tropus*: deinde fundamentum meæ ad illius quæstionis partem affirmativam demonstrationis, videlicet dis-



junctivam hanc : *Quicquid omnino dicitur, id vel propriè loquendo, vel per aliquem tropum dicitur.* Sequitur nunc tertium reprehensionis caput, quo reprehenditur ea, quam propono, propriarum locutionum in duo genera distinctio: aut enim unum dicitur esse alterum, aut unum alterius dicitur esse particeps seu altero præditum. In posteriore genere pono, quum de specie dicitur differentia. Hic Hofmannus ostendere conatur utriusque generis confusionem:

Pag. 17.

*Quum omnis definitio (inquit) constet genere & differentia, ut statuit pag. 3. & quando definitio de definito, vel contradicitur, prioris generis prædicationem faciat: vana certè fuerit differentie ex hoc genere conclusio, eiuſq; ad alterum rejectio.* Evolvamus quæso hunc syllogisum: ut videamus quàm Logice concludat:

*Definitio dicitur de specie definita ut ὁπερ ἀπὸ.*

*At differentia est definitionis pars. quippe definitio omnis genere & differentia constat.*

*Ergo differentia dicitur de specie definita, ut ὁπερ ἀπὸ.*

Quis hinc non videt quatuor terminos: quum aliud sit definitio, aliud verò definitionis pars? Quòd si ad syllogisum corrigendum assumatur, Differentiam esse definitionem: tum manifestè falsum assumtum fuerit.

Pag. 17.

Sed pergit Hofmannus, & conqueritur, doctrinam hanc à me involvi. Quos enim modos (inquit) propriarum enunciationum recenset, plerosque generali quodam respectu producit, quo extra modos Prædicabiliū censentur. Quid tum postea? inquam.

dummodó clarum sit, in illis modis, quos recensent, propriam seu nativam loquendi rationem observari. *At ex illis modis convenientia quædam, inquit, resultat communis, quam ne improprie quidem prædicationes omnino respuunt: ut cum idem dicitur de se ipso: item cum definitio de definito, & contrá.* Quam tu híc convenientiam communem appelles, fateor me non intelligere: veruntamen quód convenientiam illam communem ne ab impropriis quidem prædicationibus respui dicis, in eo quid tibi velis, ex exemplis quæ pauló póst in medium adducis, colligo. Affers enim ad hoc probandum exempla duo: unum enuntiationis hujus, *Deus est homo:* ubi ais, idem Pag. 18. dici de se ipso: alterum istius, *Christus est persona que est verus Deus & verus homo:* ubi definitionem Pag. 19. de definito dici concedis: ita tamen ut definitionis umbratiles tantúm notas iis verbis delineari dicas. At ego primúm nego, hæc esse exempla prædicationum impropriadum: quare nihil faciunt ad probandum propositum. Deinde nego, in priore enuntiato idem dici de se ipso: dicitur enim (ut cum vulgo loquamur) species de individuo, videlicet homo de homine individuo, seu singulari, qui híc nominatur Deus: idque partim quasi per synecdochen generis, quippe quum ex vocabulo generali ac tribus personis communi intelligatur ex illis personis tantúm una, videlicet secunda, quæ est & nominatur proprié Filius Dei: deinde per synecdochen membri, qua persona Christi denominatur á natura sua divina, & simul intelli-

gitur eam constare quoque ex natura humana. Sensus enim illius enuntiati est, Hæc persona quæ & Deus & homo est, quippe filius Dei & filius hominis: hæc inquam, persona est homo. Quod si vocabulum *Dei* simpliciter, & absque illis tropis accipias, tum enuntiatum erit falsum: quum vocabulum *Dei* simpliciter & absolute acceptum significet æternum illum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: de quibus conjunctim dici verè non potest, quod sint homo: quum nec Pater nec Spiritus sanctus homo sit, sed solus Filius. Verum enim verò in isto enuntiato, *Deus est homo*, idem de se ipso dicitur, Hofmannus inde probare sibi videtur: quia utrumq; vocabulum, ut concretum, personam denotet; quæ persona una modo Deus dicitur, modo homo. Hic fallitur Hofmannus ex homonymia vocabuli *Persona*: quod aliter intelligitur in enuntiato propositi subjecto, aliter in prædicato. nam vocabulo *Dei* in subjecto intelligitur persona certa, singularis & individua, videlicet Christus, ut paulò antè est declaratū: at vocabulo *Hominis* in prædicato intelligitur persona aliqua in genere sicut & vocabulo *Angeli*. Sicut ergo quum dico, *Gabriel est angelus*: utroque vocabulo, & subjecti in quã & prædicati, personã significo: & tamen idem de se ipso nõ enuntio, sed speciẽ de individuo: ita etiã fit, quum dicitur, *Deus est homo*: si modo hoc enuntiatũ vero sensu (id quod fieri oportet) accipiatur. Sensus. n. æquipollet huic, *Christus est homo*, vel *Jesus Mariae virginis filius, est homo*: ubi manifestum est speciẽ de individuo prædicari.

Jam



Jam quod ad alterum exemplum attinet, quo definitio Christi enuntiatur: illud Hofmannus proponit his verbis: *Quum Christum dico personam* Pag. 19.  
*quæ sit verus Deus & verus homo, definitio Christum, & quasdam generis & differentie notas explico. Hactenus igitur etiam propriis argumentis definitionem dicere videor: Verum si accuratius attendero, ut personam admirandam taliter qualiter descripsi, ita definitionis umbratiles tantum notas delineasse deprehendor: Siquidem partium collectione, ex quibus persona constat, differentiam quandam exprimo, quam alias specificè agnosco. Hæc Hofmannus. Quis autem rerum Logicarum & Theologicarum peritus non videat, Hofmannum hic miserè fluctuare: dum scilicet studet διαφύλαττον τὸν λόγον, & obtinere opinionem illam suam, quod quicquid ad quinque prædicabilia non conveniat, impropriè enuntietur? Primum simpliciter ait, se verbis illis Christum definire: sed mox addit, se notas quasdam generis & differentie explicare. itè, se videri propriis argumentis definitionem dicere. itè, se umbratiles tantum notas definitionis delineasse. denique, se differentiam quandam expressisse. Et tamè fatetur, differentiam illam constare partium collectione ex quibus, persona Christi constat. Itane verò? An non igitur totum quodcunq; verè & rectè definitur ex partium suarum collectione? Certè, quippe quum Totum nihil aliud sit, quàm id quod habet partes. An non etiam ut verum genus in definiendo Christo adhibetur nomen Personæ? Cur igitur non ingenuè affirmat, hanc esse veram & rectam atq; perfectam Christi definitionem: quippe constantem vero genere & vera*



differentia? Nimirum hoc ei obstat, quod hoc concessio, videt labefactari suam thesin. neque enim negare audeat, definitionem illam verbis propriis constare. at definitio inter prædicabilia non numeratur. Videt igitur hinc effici, prædicationem aliquam propriam dari, quæ tamè ad quinque prædicabilia non congruat. Et qui quæso definitio de specie definita dicatur improprie: quum omnes definitionis partes de illa ipsa specie proprie dicantur?

Sed pergit Hofmannus refutare modos propriarum prædicationum à me commemoratos: & statuit, quicquid ad quinque prædicabilia non convenit, id improprie enuntiari. At si dicam, *Jesus Mariæ virginis filius, est filius ille Dei unigenitus*: quæro ex te Hofmanne, num hæc prædicatio congruat ad unum ex quinque prædicabilibus? Non puto te hoc dicturum. nam nec de individuo species; nec de specie vel genus, vel differentia, vel proprium, vel accidens prædicatur. Sed prædicatur idem de se ipso, individuum de individuo, aliter tantum nominato. Quid ergo? dicésne prædicationem hinc esse impropriam? at cave tibi à blasphemia. Etenim intolerabilis blasphemia sit, si quis dicat, Jesum Mariæ virginis filium, improprie loquendo esse filium illum Dei unigenitum. Concludamus igitur jam paucis refutationem sententiæ tuæ.

*Prædicatio hæc, Jesus Mariæ virginis filius, est filius ille Dei unigenitus, non convenit ad unum ex quinque prædicabilibus.*

*At prædicatio hæc est propria, seu propriis ac nativis verbis constat.*

Ergo

Ergo quadam prædicatio propria non convenit ad quinque prædicabilia: & per consequens falsum est quod statuit Hofmannus: Quicquid ad quinque prædicabilia non convenit, id improprie enuntiari.

Sed consideremus quoque exempla quæ Hofmannus affert, tanquam prædicationum singularium atque inusitatarum, nec ad quinque prædicabilium modos regulares congruentium. Illa exempla per antithesin nescio qualem (talem quidem certe ut ratio ejus nulla appareat) præcedentibus annectit, inquiens: *Et sunt ta-* Pag. 19. &  
20.  
*men à Deo locutiones traditæ, quibus admirandum mysterium enuntiatur: ut, Deus est homo: Filius Dei est filius hominis: Deus est passus: Filius hominis erat in cælo, quum videretur in terra: quæ ad proprietates prædicationum (inquit) nequaquam congruunt: maximè si ad id attenderis, quod enuntiationes potissimum observant, unionem nimirum personalem copulantem disparata.* Hactenus Hofmannus. Qui primò admonendus est, non ita simpliciter & absque distinctione affirmandum, omnes istas locutiones esse traditas à Deo, in sacris videlicet literis. nam duæ quidem posteriores in sacris literis reperiuntur: una Actor. cap. 20. v. 28. altera Johan. 3. v. 13. at duæ priores in sacris literis expressè traditæ non exstant: interim tamen non nego, posse illas quoque ex traditis bona consequentia deduci, ut:

*Is qui Ecclesiam acquisivit proprio sanguine, est homo.*

*Atqui Deus est is qui proprio sanguine Ecclesiam acquisivit.*

*Ergo Deus est homo.*

*Sic: Jesus Mariae virginis filius, est filius hominis.*

*At Filius Dei, est Jesus ille.*

*Ergo filius Dei, est filius hominis.*

Sed videamus, an propositæ enuntiationes non congruât ad proprietates (ut Hofmannus hic ait) prædicationum. Sané si modum loquendi spectes in subjecto, illic sermo non est proprius, sed tropicus: si veró spectes totius enuntiatii sensum, ipsamq; prædicationem seu prædicandi rationem, eã esse propriam ac regulare, atq; adeó ad modos usitatos prædicabilium congruere, de singulis demonstrabo. Sed prius ostendédus est tropus in subjectis. Ac de primo quidem enuntiato, *Deus est homo*: duplicem synecdochen in subjecto esse, pauló anté ostendi: ac simul quoq; ostendi, prædicationem hic esse regulare, quippe qua de individuo species prædicatur. In reliquis tribus item est synecdoche: id quod ex hac expositione patebit. *Filius Dei* (intellige, quatenus idem est homo, seu secundum assumptam naturam) *est homo*. *Deus* (id est, Filius Dei quatenus idem est homo) *passus est*. *Filius hominis* (intellige, quatenus idem est Deus, seu secundum naturam divinam quæ personaliter in ipso habitat) *erat simul in celo & in terra*. Atq; sic ostensus est tropus in subjectis. Jam ad prædicandi rationem quod attinet: in primo ex propositis tribus enuntiatii prædicatur species de individuo: videlicet homo de homine individuo qui simul est filius Dei. In secundo prædicatur accidens de subjecto: videlicet passio de quadam



quadam persona quæ simul Deus & homo est. In tertio denique prædicatur proprium de sub-  
 jecto: videlicet ubi quitas seu omnipræsentia  
 de quodam filio hominis qui simul est Deus.  
 Ex his jam liquet, omnes istas enuntiationes  
 (quas Hofmannus pro inusitatis & irregulari-  
 bus habet) regulares esse, & usitatum prædi-  
 candi modum observare. Neque huic prædi-  
 candi modo unio personalis copulans dispa-  
 ratas naturas, quicquam obstat: sed tantum tro-  
 pum parit in subiecto, videlicet synecdochen  
 quam Theologis speciali nomine appellare  
 placuit *νομιναίαν ἰδιωπάρτων*, id est, communi-  
 onem proprietatum: quum scilicet quod uni  
 nature in Christo propriè competit, id perso-  
 næ Christi attribuitur, ab altera natura deno-  
 minatæ. ut, hominis nomen competit Christo  
 secundum naturam humanam quam assumpsit:  
 & tamen quum dicitur, *Deus est homo*, tribuitur  
 nomen hominis Christo denominato à natura  
 divina. Sic, Filii hominis appellatio convenit  
 Christo, quatenus est homo & filius Mariæ vir-  
 ginis: & tamen quum dicitur, *Filius Dei est filius  
 hominis*, tribuitur Christo appellatio filii homi-  
 nis, denominato à natura divina. Sed hoc ad-  
 huc evidentius est in reliquis duobus exem-  
 plis, quæ reperiuntur in Scriptura. Etenim  
 passio conveniebat propriè Christo secun-  
 dum naturam humanam: expressè enim di-  
 citur passus carne: & tamen quum dicitur, *De-  
 us est passus*, quo modo Paulus ait Actorum 20.  
 Deum acquisivisse Ecclesiam suo sanguine:



tribuitur passio personæ Christi denominatæ à natura divina. Sic, simul esse in cælo & in terra, atque adeó ubique esse, proprietas deitatis est: & tamen quum dicitur, *Filius hominis erat in cælo, cum videretur in terra*, colloquens scilicet cum Nicodemo, Joh. 3. illic proprietas ista deitatis tribuitur Christo denominato à natura humana.

Cæterúm prædicationem propriam, quæ idem dicitur de seipso aliter tantúm nominato, declaravi hoc exemplo: *Hic est filius ille meus dilectus*. Id Hofmannus reprehendit his verbis: *Identitatem hinc quandam (inquit) notari permitto: sed quum non sufficiat hæc notio ad rem notatam maxime dignam explicandam, ostendendum est*. Hactenus ille. Oratio videtur imperfecta. At, inquam, quid hæc reprehensio facit cõtra propositum? Quin potius ostendendum erat Hofmanno, in illo enuntiato non observari proprietatem prædicationis seu proprietatem loquendi in prædicando: de hac enim est quæstio. At quoniam id ostendere nõ potest: arripit aliud quod cavilleretur, ne nihil dixisse videatur.

Sed addit: *Optare se, me declarasse identitatem, ut quid spectassem, considerari possit: nec mihi occasio reservaretur conquerendi, ipsum intentionem meam non fuisse assecutum*. Hæc ille. At quid opus fuit declaratione in re per se clara? An non enim intentionem meam (quod ad istud exemplum attinet) claré proposui his verbis, *Quum idem de se ipso aliter tantúm nominato dicitur, tum unum dici esse alterum proprie loquendo?* deinde an non expressé

presé dixi, me istam sententiam declarare hoc exemplo, *Hic est filius ille meus dilectus*, Matth. 3. ̄. ult. Tum denique an non omnibus qui sacras literas cognoverunt, clarum & perspicuum est, per illius enuntiati tum subjectum tum prædicatum unam & eandem rem significari, videlicet secundam personam sanctæ Trinitatis: ac proinde idem de se ipso aliter tantum nominato prædicari? Hæc sané omnia perspicua & clara sunt: ac proinde immeritò conqueritur adversarius de intentionis meæ obscuritate.

Pag. 2. Ibid.

Veruntamen ne in isto exemplo refutando mutus videatur, interpretem obscuræ scilicet meæ intentionis affert Beza: cujus verba ex prioris ad se responsionis pag. 72. citat & suo more cavillatur: & tamen concedere cogitur, enuntiationem propositam hac ratione (sicut Beza affirmat) prorsus regularem esse, quatenus in ea individuum de se ipso prædicatur: id quod ad propositum meum obtinendum & contrariam Hofmanni opinionem evertendam est satis.

Pag. 20. &amp; 21.

Sed pergit cavillari adversarius, & ait: *Expendatur etiam quod adjecit Piscator, De se ipso aliter tantum nominato dici. Hoc enim in subjecto exemplo minus locum obtinet atq; alibi. Qui sic verò? inquam. Exemplum est, Hic est filius ille meus dilectus*, Matt. 3. ̄. ult. An non hic idem de se ipso aliter tantum nominato dicitur? an non enim unus & idem est, qui demonstratur per pronomen *Hic*, & qui nominatur *Filius ille Dei dilectus*?

Pag. 22.

Sed addit: *Et si etiam vix ullum dari potest exem-*

plum ex toto cumulo locutionum identicarum, quod mutatis appellationibus non mutet nonnihil notionem animi. Vix ullum, inquit, dari potest exemplum. O quám libenter negaret in universum, nisi manifesta veritas obstaret! Sed quid illa nonnihil mutata notio animi ex appellationibus mutatis, impedit propriam loquēdi rationem, de qua híc est quæstio? dic enim; *Filius Mariæ virginis, est filius Dei unigenitus*: híc duæ sunt appellationes personæ Christi: quarum utraq; personam Christi ita significat, ut interim peculiariter quoq; illius personæ notionem in animo gignat: sed quid hoc obstat, quo minùs in illo enuntiato idem dicatur de se ipso, idq; propriè loquendo? an nō enim unus & idem est qui appellatur & Mariæ virginis filius & filius Dei unigenitus? an nō etiã filius Mariæ virginis dicitur esse filius Dei unigenitus proprie loquendo?

Atq; hoc ipsum responsum esto ad ea omnia quæ de proposito exemplo differit adversarius pag. 22. ubi per appellationes personæ Christi, modò ab humana, modò á divina natura sumtas, simul ingeri ait disparatarum naturarum notiones: ac proinde in ejusmodi enuntiatis non admitti purã identitatem, nisi Eutychniano receptum parare volueris. At hæc calumnia est. neque enim confunduntur duæ in Christo naturæ, id quod Eutyches faciebat: quum dicitur, id quod ego dico, in proposito exēplo, *Hic est filius ille meus dilectus*, per subjctũ & prædicatum significari unam eandemq; personam, ac proinde idē de se ipso alitertatũ nominato dici. Quòd autem isti prædicationi proprie-



prietatem loquendi propterea adimit, quod non congruat uni ex modis quinq; predicacilium: nihil momenti habet, ut jam supra á me est ostensum.

Ceterum á primo illo meo exéplo trásit ad reprehendendū secundum, q̄ est definitionis, nēpe hoc: *Christus est filius Dei unigenitus, in plenitudine temporis homo factus ex Maria virgine.* Agnosco, inquit, definitionē Christi qualemcunq;. Qualēcunq; verò? ac non potiùs perfectam, omnibusq; numeris absolutā? nū ergo tu perfectiorem Christi definitionē desideras, aut á me requiris, quā nobis est tradita in symbolo Apostolico fidei Christianæ? quid. n. ? an non illic persona Christi definitur his verbis? *Credo in Jesum Christū* (hoc est τὸ ὀρίζόμενον: sequitur ὁρισμὸς) *filium Dei unigenitū: conceptum é spiritu sancto: natū ex Maria virgine.*

Pag. 23.

Sed addis: *Neg; omnē generis & specificæ differentie notionē desidero: Verū quod illa sponte adsint & non precarió veniāt: quodq; ad rē propiùs admota, modum servent usit atū, eumq; nullatenus excedāt: hoc mihi nondum persuaderi potuit.* Quid verò tibi vis, quū dicis: illa: (videlicet quæ á me commemorātur in definitione Christi, vel certe omnē illam quam te desiderare negas, generis & specificæ differentie notionē) *non adesse sponte, sed venire precarió?* Ego fateor me non assequi quid velis: ac miror si quisquam sit qui assequatur. Quod autē dicis, si definitio illa Christi ad rē propiùs admota fuerit, nō servari modū usitatū: obscuré tu quidem loqueris, nec satis explicatē mentē tuā exponis: veruntamen ex collatione eorū, q̄ supra abs te dicta sunt, & pauló post dicentur, colligo te hoc velle: quæ res ipsa (videlicet p̄sona Christi)



singularis sit, & usitatum naturæ ordinem excedat: idcirco modum quoq; de illa re loquendi & illam personam definiendi singularem atque inusitatum esse. Sed hæc consequentia fallit: ut supra ostendi, & ut ex re ipsa planum est. Etenim definitio personæ Christi, constat genere & differentia, ut quævis alia definitio. Genus est persona: differentia sumitur à partibus, videlicet à duabus naturis, quibus hæc persona constat, divina & humana: & utraque è sua origine, atque ita à causa efficiente, declaratur. Quum enim dicitur *filius Dei unigenitus*: significatur esse personam quæ sit verus Deus, quæq; divinam naturam acceperit à Deo patre per æternam atque ineffabilem generationem. Quum verò additur, *In plenitudine temporis homo factus ex Maria virgine*: indicatur, hæc personam esse quoque verum hominem, & naturam humanam accepisse certo tempore ex matre virgine, ac proinde per singularem operationem Spiritus sancti.

Pag. ead.

*At si ad rem quæ enuntiatur, collinearis* (ait Hoffmannus) *disparatorum copulationem maximè singularem deprehendes*. Sanè ita est, ut dicis: at quid hoc obstat, quò minus definitio è disparatis illis constans, dicatur confecta modo usitato, quo scilicet totum quodvis definitur è suis partibus? item, quò minus illa ipsa definitio de suo definito propriè loquendo dicatur?

Sed objicit mihi adversarius hoc loco iudicium atque auctoritatem Bonaventuræ Scholastici:

lastici: cujus hæc verba recitat: *Quum dicitur*, Pag. 24.  
 Deus est homo, *hic est singularis modus prædicandi:*  
*non enim est talis prædicatio per essentiam, nec per cau-*  
*sam, nec per inherentiã: sed est prædicatio per unio-*  
*nem. Ideo enim homo prædicatur de Deo, quia unitur ei*  
*in unitatem personæ. Et quoniam hæc unio est singula-*  
*ris, non est mirum si singularem exigit modum prædi-*  
*candi: & per hoc patet illud, quod talis prædicatio non*  
*reducatur ad alios modos prædicandi consuetos. Ha-*  
*ctenus verba Bonaventuræ: in quibus quatuor*  
 sententiæ falsæ continentur, & una ambigua ac  
 proinde errori ac falsitati occasionem præbēs.  
 Prima sententia falsa est, quod dicit, in isto e-  
 nuntiato, *Deus est homo*, singularem esse modum  
 prædicandi. Etsi enim res ipsa singularis est,  
 quod una eademque persona est simul Deus &  
 homo; tamen modus prædicandi est commu-  
 nis & usitatus, quo scilicet species prædicatur  
 de individuo. Sensus enim illius enuntiati est:  
*Persona secunda deitatis quæ est verus ille Deus unã cum*  
*Patre & Spiritu sancto, est etiam homo.* Secunda sen-  
 tentia falsa est, quod negat, talem prædicatio-  
 nem esse per essentiam. Quum enim species de  
 individuo prædicetur, vel potius genus de spe-  
 cie individua: planum est esse prædicationem  
 per essentiam: quum genus sit totum suis par-  
 tibus essentiale. Tertia sententia falsa est, quod  
 dicit: Quoniam unio hæc (nempe personalis  
 illa unio duarum naturarum in Christo) est sin-  
 gularis, non esse mirum, si singularem exigit  
 modum prædicandi. At, inquam, nulla apparet  
 istius connexionis & consequentiæ necessitas.

nam potest res singularis enuntiari modo prædicandi usitato & regulari: ut si dicam, *Filius Dei assumfit naturã humanã in unitatem personæ*: enuntio quidem rem singularẽ atque inusitatam: veruntamẽ enuntio modo prædicandi usitato ac regulari, quo nimirum prædicatur accidens de subiecto. Quarta deniq; sentẽtia falsa est, quod ait, talem prædicationem non reduci ad modos prædicãdi consuetos. Etenim reducitur ad modum illũ, quo prædicatur species de individuo: ut pauló antè est declaratum. Porró ambigua illa, quam diximus, sententia, inter secundam & tertiam interjecta est, quũ ait: Ideo hominem prædicari de Deo, quia uniatur ei in unitatem personæ. Hic si vocabulum *Dei* intelligatur simpliciter & absolutè: sententia ista erit falsa: quũ vocabulum *Dei* simpliciter acceptum, æternum illum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum simul significet: nec tamen vel Patri vel Spiritui sancto natura humana in unitatem personæ unita sit, sed soli Filio. Si veró vocabulum *Dei* accipiatur de solo Filio Dei: eodem sensu enũtiatum istud verum est. Quin illud quoque non rectè à Bonaventura dicitur, Deo in unitatem personæ unitum esse *hominem*. *Hominis* enim vocabulo persona significatur: at Filio Dei non est personaliter unita humana persona, sed humana natura. Ex his perspicitur, auctoritatem Bonaventuræ frustra ab Hofmanno contra veritatem adductam esse: ac proinde à nobis bona venia eruditorum repudiari. Atque adeó si authoritatibus Scholastico-



Iasticorum agere libet, Bonaventuræ oppono Thomam qui illius gregis facile princeps putatur. Is enim hac de re sic scribit: *Et ideo hoc nomen Homo univocè dicitur de Christo & Petro: quia utrobique significat unam naturam, scilicet humanam, compositam ex anima & corpore: sed in Christo supponit suppositum æternū, quod non supponit in Petro.*

Quæst. de  
union. verb.  
incarn. art.  
2. resp. ad 4.

Porro ab exemplo secundo transit Hofmannus ad reprehensionem quarti. nam tertium (ut opinor) ideo trāsiliit, quod judicaret ejusdem rationis cum secundo esse: quia idem exemplum repetitur, per reciprocationem in verum. Ait igitur, *In exemplo quarto, Christus est filius hominis, vult esse predicationem generis de specie. in quo mutationem individui in speciem: ut, quod extra predicabilium numerum censetur, predicabile reddatur, pro facilitate mea qua in supervacaneis disputationibus, Theologica tractans, utor, ipsi largior.* At Hofmanne, nihil hinc tua liberalitate opus est. nam quod vulgò Individuum nominant, id revera nihil aliud est, quàm species individua: idque secundum ipsum Aristotelem, cujus doctrinam se vulgò sequi jactant. Sic enim ille lib. 3. Metaphys. cap. 4. *ἐξ αὐτῶν γέννηται τῶν ἀτόμων, οἷον ἀνδρῶν &c.* id est, *Extrema seu ultima genera supra individua sunt, ut homo.* Si extrema genera relationem habent ad individua: necesse est per individua intelligi species: quum quæ hæc sit generis natura atque essentia, ad speciẽ certo modo referri. *Quare liquet, τὰ ἀτομα apud Arist. dici cōcisè seu per ellipsin, subaudiẽdo ἑδῆ. quam ellipsin*

pag. 24.



Latini non attendentes, simpliciter verterunt *Individua*: quum vertere debuissent *Individuas species*, ellipsi ad perspicuitatem suppleta. Et expressé Aristoteles *hominem* pro exemplo generis extremi affert. Quare secundum Aristotelem, quum dicitur, *Petrus est homo*: genus de specie prædicatur. Falsó igitur mihi exprobras Hofmanne, quód individuum in speciem mutaverim. Quin falsam quoque istius mutationis causam mihi affingis: quasi nimirum ideo individuum in speciem mutaverim, ut individuum reddatur prædicabile. Quasi veró in exemplo proposito individuum á me reddatur prædicabile! Imó de specie dico prædicari genus, vocabulo *speciei* individuum intelligens, nempe  $\alpha\tau\omicron\mu\omicron\nu\ \epsilon\iota\delta\ \Theta$ , ut Aristoteles loquitur. Quod cum dico, non magis Individuum prædicabile reddo: quám id facerem, si dicerem cū vulgo, de individuo prædicari speciem. Prædicabile enim dicitur, non id de quo aliud prædicatur, sed quod ipsum prædicatur de alio.

Pag. 24. Sed pergis, & negas, eandem esse prædicandi rationem in hac propositione, *Christus est filius hominis, cum ea que est in hac, Petrus est filius hominis. Manet enim, inquis, Christo suum quoddam singulare, quo filius hominis esse dicitur &c.* At, inquam, etsi Christus hoc habet singulare, quód idem est Dei & hominis filius, matremque habuerit  $\delta\epsilon\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\nu\omicron$ : tamen id quo filius hominis esse dicitur, non est ei singulare, sed cum aliis hominibus commune. Dicitur enim filius hominis, quia ex homine natus est, ac proinde verus ho-  
mo

mo est. Atque hoc tu ipse fateri cogaris, quum dicis, eum filium hominis declarari secundum carnem. quod quid aliud est, quam ideo filium hominis esse, quia secundum carnem ex homine natus est? Porro hæc naturæ similitudo, imò identitas cum natura nostra, satis est ad modum prædicandi regularem, quo homo de Christo prædicatur ut genus de specie, seu (quemadmodum vulgò loquuntur) ut species de individuo. Est enim nobis similis factus per omnia, excepto peccato. Quare sicut Petrus dicitur esse filius hominis, quia ex homine natus est: sic etiam filius hominis esse dicitur Christus, licet singulari modo & operatione Spiritus sancti natus sit ex virgine.

At eo (inquit Hofmannus) quo filius dicitur Pag. 25.  
 (intelligo, quo Christus dicitur filius hominis) & probatur etiam exprimitur: quæ hic non est quædam creatura & in tempore facta subsistentia carni Christi peculiaris, sed illa quæ λόγος fuit ab æterno &c. Sanè hoc differt hic filius hominis ab alio quovis: veruntamen discrimen illud non obstat, quominus hic filius hominis, nempe Christus, eandem ob causam & eadem ratione filius hominis dicatur, quam ob causam & qua ratione filius hominis dicitur quivis alius: nempe quia ex homine natus est; suamque naturam humanam est substantia hominis per generationem accipit. Etenim discrimen modi non tollit similitudinem atq; identitatem ipsius rei. Est enim Christus secundum naturam humanam, seu ut filius hominis, nobis similis factus per omnia,

folo peccato excepto. Quapropter quum ego discrimen illud modi quo filius Dei homo factus est, quóq; humana natura in ipso subsistit, non negem: liquet Hofmannum malevolè calumniam, quum ait *me discrimen illud negligere: quod tamen tam necessario observandum sit, quam necesse est, Christum fide Christiana, à Judæorum et Mahometistarum judicio segregata, in ista singularitate peculiariter agnoscere & confiteri.* Similiter Pharisæi Christo convitiabantur, quum dicerent: An non rectè dicimus, te Samaritanum esse, ac dæmonium habere? Quibus ut Christus respondit. Dæmonium non habeo: sic ego respondeo Hofmāno, Fides mea à Judæorum & Mahometistarum judicio quā longissimè segregata est: ut ex verbis meis cuiusvis viro bono & harū rerū perito satis liquet.

Reg. 26. &  
27.

Quæ porro subjungit adversarius de frustratione meæ intentionis ac spei in exemplo illo, *Christus est filius hominis*, ad regulare prædicationem referendo: nihil præter *ἀειρολογία* & negationem, & inanes suspiciones, & perulantem irrisionem, & deniq; malitiosam ac verè diabolicam calumniam (qua me doctrinam de Christo ad Judaicas & Mahometicas calumnias compositam tradere dicit) continent. Nam ex disputatis planum est, illud exemplum verè regulare esse: quo fit ut non sit pro singulari atq; inusitato habendum: sicut nec reliqua ejusdem generis, quæ Hofmannus ad expugnandum illam disjunctivam afferre solet; qua omnis prædicatio vera, aut propria aut tropica esse statuitur. Deinde planum est & illud, doctrinam meam de Chri-



de Christo fidei Christianæ conformem esse: nec Judaicis aut Mahometicis blasphemis quicquam affine habere.

CAP. IV. De prosyllogismi mei assumptione & conclusionem: ubi conclusionis principalis vindicatio ab elenchis Hofmanni.

**H**Actenus disputatum est de prosyllogismi mei propositione; & confirmatio illius per exempla, à reprehensionibus adversarii est vindicata. Jam ad assumptionem quod attinet: cavilatur adversarius, *me illam ambitiosè probare, quum in disceptationem nõ veniat: ac eo majorem vanitatem prodere, ut qui laborem insumam ac perdam in supervacaneis, quem negaverim necessariis.* Hic rursus apparet, Hofmannũ sibi persuasisse, me libello meo nihil aliud egisse, quàm ut causam Bezae contra ipsum defenderem: de qua falsa suspitione supra in principio à me responsum est. Quod igitur probavi prosyllogismi mei assumptionem: non feci (ut adversarius calumniatur) ambitiosè: sed simpliciter docendi causa: ut nihil ex propositis relinquerem de cujus veritate lector posset dubitare. Similiter falsum crimen est quũ dicit, me laborẽ hunc probandi negasse necessariis; intelligens (ut ex sequentibus apparet) demonstrationis meæ ad primã quæstionẽ fundamentũ, nempe Quicquid omninõ dicitur, id aut propriè loquendo, aut p̄ tropũ dicitur. Etenim hãc disjunctivã argumẽtis probare necesse nõ fuit: quũ manifestã habeat veritatem: ita ut si quis eã probare velit, perinde agere videatur, ac si lumẽ soli mutuari velit. Sed Hofm.

Pag. 27.



Pag. 28.

quia disjunctivam hanc pro vera non agnoscit: repudiat demonstrationis illius meę clausulam ex hoc fundamento deductam: nempe, Cüm sit demonstratum, verba illa Domini contraversa, non esse dicta proprię, necessarió concludi per tropum aliquem dicta esse. Hofmannus negat consequentiam: *quia non omnis predicatio aut propria sit aut tropica: quum sit tertium quoddam genus, videlicet predicationum inusitatarum.* Itaque me provocat ut respondeam ad syllogismum hunc.

*Quod neutrum est ex datis duobus, tertium ut habeat & det necesse est.*

*Sacramentales propositiones, Panis benedictus in sacra Cœna est corpus Christi; &, Vinum in eadem est sanguis Christi; neg<sub>3</sub> regulares sunt, neg<sub>3</sub> tropicæ.*

*Tertium igitur genus predicationum necessarió præbent.*

Ego veró respondeo per negationem Minoris: & dico propositiones illas esse tropicas. At illas non esse tropicas, Hofmannus sic vult ostendere. *Panis & vinum proprię in illis accipiuntur: corporis quoq; & sanguinis Christi appellationes declaratione Christi & attestazione Zvinglii & Beze, & pñlör servant & propriissimam significationem. Hoc autē in nulla tropica enuntiatione contingit, nimirum ut neutrum extremorum mutet & pñlör.* Antequam ad hanc objectionem respondeam: quærere libet ex Hofmanno, cur non dicat, propositiones illas esse proprias: quum tamen hic affirmet, & subjectum & prædicatum earum proprię

priè accipi & propriam significationem serva-  
 re: atq; etiam alibi tradat, Copulam á prædica- Pag. 90.  
 to dependere, & ex eodem auferre *ἔξω* quæ sit  
 prædicationis forma? unde ex opinione Hof-  
 manni, si prædicatum fuerit tropicum, copula  
 simul tropica erit, atq; ipsa quoque prædica-  
 tio: similiter si prædicatum erit proprium, co-  
 pula quoq; propria erit. Unde jam perspicitur,  
 propositionum illarum Sacramentalium par-  
 tes singulas ab Hofmãno proprias statui: quod  
 quum faciat, consensaneum erat ut ipsas quoq;  
 illas propositiones proprias statueret. Quo-  
 modo enim totum rectè negabitur esse pro-  
 prium, cujus singulas partes proprias esse af-  
 firmatur? Nunc verò Hofmannus propositione-  
 nes illas, proprias esse negat: & contrá singula-  
 res atque inusitatas esse contendit. Sed respon-  
 deamus nunc ad allatam objectionem. Quo lo-  
 co rogandus est mihi æquus lector, ne offenda-  
 tur, si intelliget, me nunc de sede tropi in pro-  
 positionibus illis Sacramentalibus aliter senti-  
 re, quàm sensi quum scripsi meum de tribus il-  
 lis quæstionibus libellum. Confido enim me  
 sententiæ mutatae idoneas causas expositurum  
 quæ æquo censori meritò satisfaciant. Quin il-  
 lud quoque pium lectorem admonitum volo,  
 hac sententiæ meæ mutatione nihil decedere  
 causæ principali, nec pium de genuino verbó-  
 rum Domini censu consensum cum illis qui  
 de tropi sede aliter sentiunt, quicquam lædi.  
 qua de re in disputatione Quæstionis terciæ ple-  
 nius dicendum erit. Interim ut ad allatam

objectionem respondeam: nego in propositionibus illis Sacramentalibus de sacra Cœna, corporis & sanguinis Christi appellationes propriam significationem retinere. nam mutatur illa per metonymiam: quippe quum per corpus & sanguinem Christi significetur utriusque signum. Sicut quum Circumcisio dicitur esse fœdus Dei: per nomen fœderis intelligitur fœderis signum: quemadmodum Deus ipse exponit. qua de re inspiciatur textus Gen. 17. v. 10. & 11. Similiter quum agnus ille dicitur esse pefach, id est, transitus Domini: per transitum metonymicè intelligitur transitus illius monumentum seu signum memoriale: sicut ab ipso Mose declaratur: ut videre est Exod. 12. v. 11. 12. 13. & 14. At quod corporis & sanguinis Christi appellationes in illis propositionibus retineant propriam significationem, probat Hofmannus primùm ex declaratione Christi, deinde ex attestazione seu confessione Zvinglii & Beza. Respondeo ὁμοίως τῶν: Zvinglius & Beza in prædicatis illarum propositionum ea ratione statuunt significationem propriam, ut interim metonymiam ponant in copula: ac per hoc talem expositionem afferant, quæ expositioni alteri qua tropus ponitur in prædicatis, prorsus æquipolleat. nam idem planè sensus est verborum, siue dicas, *Panis Cœna significat corpus Christi: siue dicas, Panis Cœna est corporis signum.* Sed quid obster quò minus metonymia poni possit in copula, com-



commodius dicetur suo loco in disputatione  
 quæstionis tertiæ. Nunc ostendendum est, de-  
 clarationem Christi, metonymiæ in prædica-  
 tis non obstare. Quæ enim est illa declaratio?  
 nempe hæc: *Quod pro vobis datur*. item, *Qui pro vo-  
 bis funditur*. At istis verbis Christus non voluit  
 declarare de quonam suo corpore loqueretur,  
 quasi scilicet plura uno corpora haberet: sed  
 voluit declarare, quæ ratione seu quo respectu  
 panis ille sanctificatus corporis sui signum ef-  
 feret: nempe quatenus illud pro nobis dandum  
 vel datum sit. Eadem est sententia alterius clau-  
 sulæ. Quare quum Dominus dixit, *Hoc est cor-  
 pus meum quod pro vobis datur*: item, *Hoc est sanguis  
 meus seu novum fœdus in meo sanguine, qui pro vobis  
 funditur*: dicere voluit. Hic panis est signum cor-  
 poris mei; significans atq; testificans, illud pro  
 vobis datum iri in mortem. item, *Hoc pocu-  
 lum sive hoc vinum est signum sanguinis mei,  
 seu novi fœderis*: significans atq; testificans,  
 sanguinem meum pro vobis effusum iri, illaq;  
 effusione novum fœdus sancitum iri. Porro  
 quod Christus electis suis testificatur, id etiam  
 efficit per Spiritum sanctum ut magis magis-  
 que credant, atque ita rem testatam seu signifi-  
 catam illis per fidem magis magisque commu-  
 nicat & fruendam exhibet. Evange-licus igitur ca-  
 villum, quo nonnulli dicunt: si in illis propo-  
 sitionibus nomen corporis & sanguinis expo-  
 natur per signum seu figuram corporis & san-  
 guinis: sequi hinc ut statuendum sit, non verum  
 corpus Christi pro nobis datum esse, nec ve-

rum sanguinem effusum: sed corpus & sanguinem figurativum. Imò, inquam, panis ille facer est signum corporis veri, quod (intellige corpus, non autem signum corporis) pro nobis datum est. Committūt ergo illi fallaciam compositionis & divisionis: dum pronomen relativum *Quod* non ad nomen *Corporis*, sed ad nomen *Signi* referunt.

Fig. 19. Quod autem addit Hofmannus, *in nulla tropica enuntiatione contingere, ut neutrum extremorum mutet τὸ πρὸς τὸν seu propriam significationem*: in eo patitur sibi diversum ostendi. Contingit enim in enuntiatis ironicis, ut neutrum extremorum propriam significationem mutet: nempe quā ironia est in ipsa copula: ita ut ex affirmatione intelligatur negatio. ut si quis ignavo imperatori diceret: Nonne tu es strenuus imperator? pro eo quod propriè dicendū esset, Tu non es strenuus imperator. Et quanquam hic tropus quoq; collocari potest in prædicato: quasi diceretur, Tu es imperator ignavus: tamen nihil vetat collocari in copula eo quo dictum est sensu. Sic Paulus ad Corinthios scribit: *Vos saturati estis, vos ditati estis, absq; nobis regnatis*. pro eod sentiebat, Vos nondum estis saturati, nec ditati, nec regnatis. Sicut ipse ironiam declarans subjicit: *Atq; utinam sanè regnetis*. quibus certè verbis significat, eos non regnare.

I. COL. 4. V. 8.

Sed redeamus ad propositiones illas Sacramentales, quas pronuntiavit Christus in instituenda sacra Cæna. In illis igitur ut ostendat Hofmannus non esse tropū, præter elenchum illum

illum quem petit á declaratione Christi, tres alios affert. quorum primum proponit his verbis: *Hic, inquit, experiatur Piscator, quid possit: simul considerans sub questione secunda, quæ sit vanitas, non cessare ex cumulo usitatorum troporum aliquem exquirere, qui mysterio & modo ignoto aptetur.* Quali veró Scriptura non loquatur de mysteriis per tropos usitados: ut quum Christus dicitur esse sponsus seu maritus Ecclesiæ, in Cantico Salomonis, & ad Ephes. cap. 5. item caput Ecclesiæ, ibid. item vitis, respectu fidelium tanquam palmitum, Joh. 15. Secundum elenchum proponit his verbis: *sic tertia sub questione expendat, (inquit,) quod impossibile sit in copula tropum dari qui non spargatur in prædicatum.* Ego veró et si concedo, in propositionibus illis Sacramentalibus tropum in copula non esse: tamen pauló anté contrarium ostendi exemplo enuntiationum quarundam ironicarum, ubi tropus datur in copula, ut tamen nõ spargatur in prædicatum. Tertium denique elenchum sic proponit: *Periculum, (inquit) faciat, num possit hujusmodi enuntiationes, modum mysticum & arcanum continentes, reducere ad regulares: quod proprium nulli tropica, quam artifices constituerunt, denegatum fuit.* Ego veró, quod postulat adversarius, præstabo facillimé. quid enim? nonne regularis prædicatio est, si dicam: *Panis sacre Cœnæ est signum corporis Christi?* quippe hic prædicatur definitio de definito. perinde enim est, ac si dicatur: *Panis sacre Cœnæ est panis quo significatur corpus Christi, nempe quod illud pro nobis in mor-*



tem sit traditum, ac omnino quod Christus crucifixus noster sit cum omnibus suis beneficiis. Ad hanc verò reducitur illa tropica quam Christus de pane sacræ Cœnæ pronuntiavit. Sic propria est, *Circumcisio est signum fœderis.* ad hanc verò reducitur illa, *Circumcisio est fœdas.*

Ex his patet, remota jam á me esse obstacula illa, quæ adversarius Thraſonicé gloriatur á Beza ne moveri quidem potuisse. Atque utinam hoc labore aliquid profecero: quum dicat Hofmannus, nisi obstacula ista remove-ro, me nihil contra se profecturum.

*CAP. V. An Hofmannus á refutatione mea bene vindicet argumentum quod contra tropum petunt á consuetudine testamentorum. Item an locus Gen. 48. de testamento patriarchæ Jacob, bene á me sit expositus.*

**H**Actenus quatuor principalia doctrinæ meæ capita ad explicationem primæ quæstionis pertinentia, á reprehensionibus adversarii vindicavi: primùm ipsam quæstionis formulam; deinde veritatem disjunctivæ quæ demonstratio quæstionis tanquam fundamento nititur: tum genera & exempla locutionum propriarum: postremò ipsam quæstionis propositæ conclusionem: sequitur nunc caput quintum, quod est de usu troporum in testamento. Igitur demonstratione quæstionis á me propositæ conclusa, adjeci refutationem objectionis quam nonnulli petunt á more & consuetudine testamentorum: quasi in illis nullus tropus sit locus. Contrarium verò ostendi adducto

ducto exemplo testamenti patriarchæ Jacobi quod exstat Gen. 48. Hic adversarius in testamento posse esse tropos concedit: atque hoc ipso infirmitatem illius objectionis fatetur: veruntamen ut ostendat, in verbis illis testamenti Christi tropum non esse, sic disputat. *Vocem, inquit, testamenti hoc potissimum pondere libramus, quando eam opponimus adversario: primum, ne quid temerè in eo mutare tentemus.* Respondeo: Qui verba testamenti ex mente testatoris exponit (id quod fit per illam metonymiam) is per hoc nihil in testamento mutat. *Secundò, inquit, ut testamentum hoc Christi ab iis que futurorum vaticinia condunt, discernamus: quum præsens bonum leget & donet.* Respondeo: Quid verat, quò minus etiam præsens bonum sermone tropico legati possit: ut si quis poculum aureum gemmis pretiosissimis ornatum, quod in deliciis habeat, amico leget his verbis: *Ego lego Titio poculum illud aureum gemmis ornatum delicias meas.* Quanquam hic ex adversario quærendum est, quidnam præsentis boni nomine intelligat, & quomodo id præsens esse statuat? Si intelligit substantiam corporis & sanguinis Christi, & præsentiam substantialem: sanè corpus & sanguis Christi in prima illa Cœna substantialiter præsentia fuerunt, at non in pane & vino, sed extra illa: hodie autem illa substantialiter sunt in cœlo, & nusquã alibi. Et bonum quod Christus in illo suo testamento fidelibus legavit, propriè loquendo est ipsa peccatorum remissio & vita æterna passione Christi parta. Sed

pergit Hofmannus, & Tertió, inquit, in testamento hoc Christi illa ipsa pars in qua presens legatum nominatur, omnino probabiliter á tropo libera statuitur, ne testator studiosè heredibus litè legasse putetur. Respondeo: Non omnis tropus obscurus est, ut litem pariat ex ambiguitate: & discipulis metonymia illa Sacramentalis satis perspecta fuit ex more loquendi de agno paschali. Quartó infirmitatem istorum argumentorum sponte agnoscens adversarius, argumentum illud á declaratione Christi, tanquam validissimum reperit. Verúm istud argumentum jam supra á me solutum est. Porró convitia quæ adversarius isti argumentorum recensione subnectit, candido & æquo lectori judicanda permittó.

Pag. 31.

De Metonymia quæ hic me inspergere dicit: videbit candidus lector, me illa non sine justa causa inspersisse: quippe quód propositæ objectionis instituta refutatio id postulare.

Porró quod attinet ad locum Gen. 48. adversarius admodum petulanter partim inscitiam partim negligentiam mihi objicit, & exprobrat: sed utrumque falso crimine, ut mox apparebit. Ait, *me esse interpretem importunum & ineptum: qui de textu sacro non intellecto, & præterea peritioribus mearum partium inconsultis judicem.* At ut *ἄποδύσειον* respondeam: sciat Hofmannus, me peritiores mearum (ut ipse odiose loquitur) partium interpretes consuluisse: sed interpretes, ac non unum tantum interpretem, quæ ille postea solum nominat, videlicet Calvinum: & quoniam illius sententiam me non secutum videt,

Pag. 31.



videt, inde imperité colligit, me peritiores me-  
 arum partium non consuluisse. At quod Hof-  
 mannus me facere debuisse dicit, feci: & cum  
 Calvino deliberavi: sed quum sententia illius  
 mihi non probaretur, alios quoque consului,  
 eosque doctissimos Theologos & peritissimos  
 sacrarum literarum interpretes, Immanuellem  
 Tremellium & Franciscum Junium, quos ut  
 præceptores quondam meos honoris causa  
 nomino. Horum expositio mihi probata fuit,  
 & etiam nunc probatur: quapropter eam in li-  
 bello meo sum secutus, & adhuc sequor. Sed  
 videamus, uter nostrum, Hofmannus ne an e-  
 go, locum illum recte exponat. Initio ait, *locum*  
*illum explicari Johan. 4. de agro Sichemico, quem Ja-*  
*cob donavit filio Joseph. Quis negat? Sed addit: Hic*  
*quomodo per Simeonem & Levi armis vastatus, ipsis*  
*homicidis possessionem fugientibus, Jacobo jure cesserit,*  
*ut ita Jacob historicè acceperit illum, debuisset Piscator*  
*deliberare cum Calvino qui etiam disertè inquit, pro-*  
*lepsin hoc loco de futura nimirum acquisitione, esse non-*  
*nihil coactam.* Hic notet candidus lector, locum  
 illum Calvinus non satis bona fide ab Hofman-  
 no citari, mihi que opponi. Omittit enim quod  
 in illa ipsa sententia Calvinus expressè scribit,  
 se prolepsin illam seu expositionem verborum  
 Jacobi de futura acquisitione, *non repudiare.* At  
 Hofmannus eam prorsus tanquam importu-  
 nam & ineptam & denique falsam repudiat.  
 Sed nunc rem ipsam consideremus. Ait Hof-  
 mannus, agrum illum Jacobo jure cesserisse, ut-  
 pote armis vastatum per illius filios Simeonem

& Levi, ipsis homicidis possessionem fugientibus. Itane verò? num igitur illa cædes Sichemitarum justa fuit? Minimè verò. vel ipso Jacobo iudice: ut qui facinoris istius auctores graviter objurgavit: quemadmodum videre est Gen. 34. v. 30. & rursum cap. 49. v. 5, 6. & 7. Quomodo igitur Jacob putare potuit, jure sibi cessisse possessionem ejus agri, quem à filiis præter omne jus & fas vastatum judicabat? Nec ad rem facit, quod Hofmannus dicit, ipsos homicidas possessionem fugisse. nam non ideò jure cessit patri possessio illa, quòd filii eam fugissent: nec illi soli fugerunt, sed una ipse pater: ut notum est ex historia quæ narratur Geneseos 35. Sed attendatur hoc loco inconstantia Hofmanni, qui posteaquam dixit, Jacobum *historicè* accepisse agrum illum Sichemiticum: delabitur tandem ad acceptiorem non historicam & literalem atque corporalem, sed spirituales illam, quæ posita est in fide. quasi verò dum ego affirmo, Jacobum tunc quum ista diceret, agrum illum *historicè* nondum accepisse: sed demum in posteris accepturum fuisse: hoc ipso negem, ac non potius includam, acceptionem illam spirituales. Quid enim acceptio illa spiritualis quæ fit per fidem, aliud est quàm certa spes de bonis à Deo promissis suo tempore accipiendis? Hoc enim ferè toto illo capite undecimo ad Hebræos, quod Hofmannus hoc loco temerè mihi opponit, agitur: videlicet sanctos illos patres fide amplexos esse ac possedisse bona à Deo pro:

promissa, non secus ac si jam exstarent. Atque  
 hic quoque manifestam calumniam intexit  
 Hofmannus, ubi ait: *Interim tamen quod plané non* Pag. 23.  
*acceperit ipse terram istam, dici nequit.* quasi veró  
 ego dixerim, quod plané non acceperit: id est,  
 nullo prorsus modo, nec historicé seu corpo-  
 raliter, nec spiritualiter seu per fidem. Imó  
 dixi, quod non acceperit, sed accepturus fue-  
 rit suo tempore *vi armata*, nimirum secundum  
 verba textus, ubi ait, *Cepi gladio meo & arcu meo:*  
 quem modum tu calumniator hic ipse Jaco-  
 bo negas, dum ais: *Recté sané corporalis illa occu-*  
*patio negatur Jacobo, quæ posteris ejus obtigit.* Porró  
 exemplum Abrahami quod adjungit Hof-  
 mannus, expositionem meam non evertit. A-  
 braham, teste Christo, vidit diem illius. uti-  
 que oculis fidei, non corporis. Similiter Ja-  
 cob accepit agrum Sichemiticum: utique ma-  
 nu fidei, non corporis. Quare mera calu-  
 mnia est, quum addit Hofmannus: *Itaque me-*  
*tonymia textui injuria fuerit, si tanquam sufficiens &*  
*contra illam spiritualem acceptionem allegetur.* A-  
 gnoscis igitur Hofmanno, metonymiam tex-  
 tui injuriam non fore, si modó non allegetur  
 contra illam spiritualem acceptionem? Bené  
 habet. nam ego contra illam non allegavi, ut  
 ex dictis liquet. Interim tamen sufficiens est  
 ad genuinum sensum exponendum ista meto-  
 nymia: quia acceptionem illam fidei non ex-  
 cludit, sed potius comprehendit. quum enim  
 dicit, *Accepi:* dicere vult, Certó credo me acce-  
 pturum in posteris.



Pag. 33.

Quod addit, *plerosq; tropos extrema sensus lambere, medullam autem dictorum raro degustare*: inanis garrulus est sine demonstratione. Quare eadem facilitate à me rejicitur, quæ ab illo statuitur. Et sanè infirmitatem hujus opinionis auctor ipse velut forex suo stridore prodit: dum ait, *tropi pleriq;*. Quæro igitur, quos excipiat? Item, quum dicit, *raro degustans*. doceat ergo, quando degustent. Imò tropus quivis in quavis voce animadversus, genuinū sensum quam accuratissimè declarat: quia de affectione rerum logica admonet. Eadem vanitate laborat scomma quod attexit tum de mea istius inanis observationis ignorantia, tum de jactatione nescio qua, præceptorum perconcentrationis in hac arte, imò & capturæ felicitatis. Sed oblectet sese ille scommatis suis. Doctorem Theologum minimè decentibus: nos verò ad seria quæ restant pergamus.

## DE SECUNDA QUÆSTIONE:

Quisnam ille sit tropus?

CAP. I. An quum res signata de signo dicitur, metonymia sit.

Pag. 31.

Initio ait, *me defecisse in demonstratione hujus, quòd tropus sit in verbis Christi: ac proinde frustra nunc querere, quisnam tropus sit*. Sed an defecerim, ex disputatis æqui lectores judicent. porrò aggredditur syllogismi mei ad propositæ quæstionis demonstrationem adhibiti propositionem majorem, nempe hoc axioma: *Quoties res signata de*

ta de signo (nempe subjectum de adjuncto) dicitur, tropus metonymie est. Hanc metonymie definitionem (aut saltem definitionis particulam) tanquam ab artificibus non traditam reprehendit; & alteram reponit, qua metonymia subjecti esse dicitur, quam nomen proprium rei subjectæ ad significandam rem adjunctam traducitur: ut quum ponitur *continentens pro re contenta*. Atque in hac definitione observari monet, qua necessitate dicatur, Unum poni pro altero: quia nimirum tropus sit elocutio qua verbum à nativa significatione in aliam mutatur. At mihi contra usitata Rhetorum de tropis præcepta excipere primùm licet: Ea collecta esse ex observatione illorum exemplorum quæ maxime usitata sunt & creberrimè sese in bonis authoribus offerunt. Ea autem sunt ejusmodi, ut tropus fere sit in enuntiatorum subjectis. At hoc non obstat, quò minus etiam reperiatur (licet rarius) in prædicatis: ut si stupido discipulo præceptor dicat, *Tu es asinus*: planum est, metaphoram esse in prædicato. Sic apud Terent. Eunuch. act. 1. scen. 1. Parmeno servus, Thaidem meretricem, de qua cum Phædria collocutus erat, egredientem conspicatus, ait:

*Sed ipsa egreditur, fundi nostri calamitas.*

In hac oratione est Grammatica appositio: Unde nascitur hoc enuntiatum, *Thais est fundi nostri calamitas*: ubi rursus manifestum est metaphoram esse in prædicato: cujus quidem rationem idem ille Parmeno continenter explicat subjiciens: Nam quod nos capere oportet, hac in-

Pag. 55.

tercipit. Sic Hofmannus ipse metaphoram in prædicato hujus enunciati agnoscit, quo dicitur, *Herodes est vulpes*. Quum igitur tropus cadat etiam in prædicatum: quo jure negabitur, contingere ut sit tropus, quum unum de altero dicitur? an non enim prædicatum de subiecto dicitur? Syllogismus in lucem ponatur ad hunc modum:

*Si tropus contingit esse in prædicato: contingit igitur ut sit tropus quum unum de altero dicitur.*

*Etenim prædicatum est quod de altero dicitur.*

*Atqui tropus contingit esse in prædicato.*

*Tropus igitur esse contingit, quum unum de altero dicitur: & per consequens nulla necessitate dicitur, tum demum esse tropum, quum unum pro altero ponitur.*

Quippe utrumque fieri potest, ut nimirum tropus sit, & quum unum pro altero ponitur, & quum unum de altero dicitur. Imò etiam tunc quum unum pro altero per tropum ponitur, fieri potest ut id ipsum de altero dicatur. Ut quum dicitur, *Herodes est vulpes*: nomen *vulpes* ponitur pro homine astuto: & tamen interim de Herode dicitur. Quæ quum ita sint: cordato & æquo lectori judicandum relinquo, quo jure mihi Hofmannus hoc loco inscitiam atque audaciam & artis corruptionem exprobrârit.

Pag. 33. 34. &amp; 35.

CAP. II. *An metonymia declaret genuinum sensum verborum Domini: & an unio Sacramentalis, sit substantialis.*

**A**T que sic satis me ab adversarii reprehensionis vindicasse puto veritatem propositionis majoris.



majoris, nempe quod quum res signata de signo dicitur, in tali oratione metonymia sit. Jam vindicanda est etiam minor, nempe quod in verbis Domini, Hoc est corpus meum, res signata de signo, nempe corpus Christi de pane, dicatur. Hanc quum adversarius concedere cogatur: (ait enim, Recipio panem Sacrae Cœnæ esse signum corporis Christi) tamē ne professus obmutescere videatur, cavillatur, Piscatorem esse talem Theologum, qui extima saltem carpat: non verò in intima penetret doctrinæ Christianæ, quæ ad ipsam rem proprius spectent. Quid ergo? Num igitur res levis & Theologi consideratione indigna, atq; etiam ad intimum seu mysterium sacrae cœnæ proprius non spectans, tibi videtur: quod filius Dei Dominus noster Jesus Christus panem sacrae cœnæ nobis ordinavit in signum sui corporis, id est, in testimonium divinum ac proinde infallibile remissionis peccatorum & vitæ æternæ morte ipsius nobis partæ, atq; ad eó communionis nostræ cum ipso? At Paulus fateatur atque etiam profitetur, se non judicasse quod quicquam sciret inter Corinthios nisi Jesum Christum, eumque crucifixum: 1. Cor. 2. §. 2. Quæ igitur ampliora & magis intima mysteria sacrae Cœnæ tu desideras? Nempe unionem corporis Christi cum pane realem atque substantialem: quam tu Sacramentalem nominas. Sic enim ais: Recipio panem sacrae cœnæ esse signum corporis Christi: Quod autem illa symbolica ratio genuinum primum sensum hujus enuntiationis exprimat, sit quæ unionis rerum forma, hoc pernego. Quid quæso tibi vis, quum vocas genuinum

Pag 35.

Ibid.

Pag 35.

*primarium sensum?* Num ergo statuis, genuinum  
 verborum Domini sensum esse duplicem, vide-  
 licet partim primarium partim secundarium?  
 an statuis, primariū quidem sensum verborum  
 Domini esse genuinum: interim tamen esse eo-  
 rundem quendam sensum secundarium, qui  
 genuinus non sit? Ego verò non duplicem, sed  
 unum ac simplicem verborum Domini sensum  
 esse statuo: nempe illum qui per tropum me-  
 tonymiæ declaratur, videlicet quòd panis sa-  
 cræ cœnæ sit signum corporis Christi, signifi-  
 cans & testificans, illud pro nobis esse datum  
 in mortem & ea morte acquisitam nobis esse  
 remissionem peccatorum & vitam æternam.  
 Sed hæc testificatio tibi non sufficit, nisi cor-  
 pus Christi cum pane substantialiter unitum  
 esse statuatur: Et nisi statuatur, illam ipsam u-  
 nionem verbis illis Domini significari: hoc e-  
 nim sibi vult exemplum quod affers ex Theo-  
 doreto: *qui corpus Christi symbolum faciat deitatis*  
*personaliter inhabitantis.* At ut jam non dispu-  
 mus, rectène id à Theodoreto dictum sit: satis  
 est, illo etiam concesso, propositum tamen abs-  
 te non concludi. Neque enim sequitur: Christi  
 corpus est symbolū Deitatis & interim substan-  
 tialiter cum ipsa unitum est: Ergo etiam panis  
 sacræ cœnæ tale symbolum est corporis Chri-  
 sti, ut interim substantialiter cum ipso unitum  
 sit. potest enim symbolum esse rei substan-  
 tialiter præsentis: quale symbolum Spiritus san-  
 cti erat columba quam super Christo vidit Jo-  
 hannes: potest etiam symbolum esse rei sub-  
 stan-

stantialiter absentis: quale symbolum corporis Christi in cruce mactandi erat agnus paschalis: & tale quoque symbolum ejusdem corporis nunc in cælo degentis, est panis sacrae cœne.

*At quum nobis res sit, inquis, de unione Sacramentali* Pag. 36.

*panis & corporis Christi in sacra cœna: liquet Piscatorem à vero momento questionis digredi ad alienum.*

Imò, inquam, tu digrederis: & me abducere conaris. nam etsi scholastica illa quæstio de unione sacramentali in scholis tractari potest, dummodo ex verbo Dei rectè definiatur: tamen ipsa Domini verba de quorum sensu principalis quæstio atque controversia est, quæstionem illam ex se non pariunt, & absque illa rectè atque utiliter explicari possunt. Etenim ubi scriptura de sacramentis loquitur, unionis sacramentalis inter signa & res signatas nusquam meminit: sed simpliciter sacramenta beneficiorum divinorum signa atque testimonia esse tradit. Interim unio sacramentalis appellari potest (dummodo id fiat absque contentione) relatio illa signorum ad res significatas, divinitus instituta. Sed unionem sacramentalem, esse substantialem, id est, sacramenta rebus significatis substantialiter uniri: id nusquam scriptura docet.

Sed pergit adversarius, & contra me citat Orthodoxum Consensum: qui causam explicaturus, cur Christus non dixerit, *Hoc est signum*

*corporis mei, sed, Hoc est corpus meum, ait, Christum* Pag. 36. & 37.

*ideo sic loquutum, ut hac mystica locutionis forma, quasi promissione gratia sacramentorum virtutem & efficaciam ex ipso usu & sine institutionis sue arcana*



*& spirituali rerum cum signis dispensatione tantò exprimeret significantiùs. Quasi verò ego hoc culpiam negem! Quid autem hoc ad Sacramentalem tuam unionem, id est, unionem substantialem corporis Christi cum pane? Dispensatio illa spiritualis rerum cum signis (quæ videlicet dispensantur corporaliter) non est substantialis signorum & rerum significatarum unio. Etsi autem lubens in hac parte, cum Orthodoxo consensu non dissentio (ut Hofmannus criminatur) sed planè consentio, quòd nimirum mystica illa locutione significantiùs voluerit Christus exprimere rerum significatarum spirituales dispensationem (quæ nimirum sit per promissionem gratiæ fide apprehensam) tamen interim statuo, etiam propria illa locutione, qua panis sacre cœnæ dicitur esse signum corporis Christi, promissionem rei signatæ contineri, quippe quum propriæ hujus locutionis cum illa impropria & tropica atque mystica idem planè sit sensus: sicut idem sensus & eadem promissio continetur, utroque hoc enunciatio de Circumcisione, Gen. 17. quorum uno Circumcisio dicitur esse ipsum fœdus: altero verò, fœderis signum. Hoc tantum discrimen est, quòd illa mystica seu sacramentalis & tropica locutio significantior atque expressior & (ut Græci loquuntur) *ἰσοφανωτέρα* est.*

CAP. III. Duo contra metonymiam argumenta Hofmanni resutantur.

**S**ed pergit Hofmannus: & jam omiſſis præmiſſis, contra ipſam conſuſionem pugnat: & cōtra metonymiam quam in verbis illis Domini eſſe coneluſi, duo argumenta affert: quæ etſi jam antea à me refutata ſunt, tamen quum ipſe hic ſēpetat, hic quoq; aliquid dicēdum eſt, ne gloriatur, me illa diſſimulaſſe, quod non poterim refutare. Ait igitur: *Si maximē metonymiam meam impetrem, tamen me plus nō obtinere, quā figuratam eſſe locutionem juxta modum quendam generalē & explicabilem: qui tamen procul adhuc abſit à modo ſingulari, quo panis primariō ſit corpus Chriſti, cuiq; ignoto figuram notā et explicabilem non niſi abſq; mente accommodabis.* Hactenus unum argumentum. Hic primū ſcire velim, quid ſibi velit illud primariō, num igitur ſtatuis Hofmannē, panem eſſe corpus Chriſti duplici modo, primariō & ſecundariō? quin igitur illos modos indicas? Dein de quæto, quem tu hic voces modum ſingularem, itemque ignotum? num modum iſum unionis, quo panis ſit unitus cum corpore? Equidem de hoc te loqui, colligo ex iis quæ ad ſententiæ tuæ declarationem atque confirmationē paulo-poſt ſubjungis de Synecdoche Lutheri: ais enim, *illam intelligi generaliter, quum panis ſit unitus cum corpore Chriſti.* At, inquam, modus illius unionis (ſi modō ita loquendum eſt) non eſt ſingularis & ignotus, ſed communis ac notus: quippe quum unio illa ſit Sacramentalis, ac proinde relativa: quo modo ſignum quodvis quaſi unitur cum re ſignificata, per relationem videlicet ad illam, & (ut ita di-

Pag. 37.

Pag. 37.

cam) dependentiam ab illo. Etenim ipsum esse (τὸ εἶναι) signi, est ad rem signatam referri, & ab illa dependere: ita videlicet ut eatenus signum sit, quatenus ad rem signatam significandam ordinatum atque institutum est. Quare non est quod putes Hofmanne, absque mente agere, si quis modo illius unionis tropum notum atque usitatum accommodet.

Sed audiamus alterum quoq; argumentum. **Pag. 37.** ais igitur: *In primis verò iste modus tropum planè respuit; quum in prædicatione, nullius partis pñdor mutetur. Quò etiam pertinet quod paulo-post sub-jicis, Lutherum & alios tropum repudiasse: quum neq; in subjecto, neque in prædicato collocari queat &c. At, inquam, in illis Domini verbi tropus collocari potest; atque etiam debet in prædicato: ut supra ostendi, & in disputatione quæstionis teritiè amplius ostendam. Porrò quæ ad confirmandum tuam reprehensionem de synecdoche Lutheri addis, qua statuitur corpus Christi cum pane esse præsens, seu panem cum corpore Christi esse unitum, nempe substantialiter: illa sententia tum demum piis admittenda erit, quum ex verbo Dei fuerit demonstrata.*

*CAP. IV. Cur metonymia qua statuitur in verbis Domini, appelletur Sacramentalis: & an vulgaribus metonymiis dissimilis sit.*

**Pag. 38.** **C**Æterùm, quæ deinceps per prolepsin de metonymiæ propositæ epitheto, à Beza illi attributo, differis: etsi ad me non pertinent, tamen confido me rem non ingrati D. Bezae factu-



facturum, si doctrinam ipsius quoad possim, à tua cavillatione vindicem. Beza, inquis, videns metonymiam suam in eo laborare, quòd ad sacramentalem rationem non pertingat aut deducat: eam cum auctario producit, & sacramentalem appellat &c. Sed quid si tu falsam causam fingas, cur ita appelleret? Equidem puto, metonymiam de qua hic controversia est, & quam in Domini verbis Beza statuit, sacramentalem ab eo appellari, quòd in sermone de sacramētis usitata est scripturæ: quòdque signa Sacramentalia non solummodo repræsentant res significatas: sed etiam sacramenta sunt, hoc est, signa seu testimonia gratiæ Dei, de qua testificantur cordibus electorum: per quam quidem testificationem Spiritus sanctus est efficax, atque ita res significatas cordibus credentium spiritualiter exhibet. non autem quòd sit tropus peculiaris & à metonymiis in sermone vulgari usitatis diversus. nam certè prorsus similes metonymiæ usitatæ quoque sunt in sermone vulgari de rebus humanis atque civilibus. Exempli gratia: si quis peregrinus uxorem in bene constituta republ. ducturus aut civitatem emturus sit: non admittitur, nisi prius fidem fecerit, se ab honestis parentibus legitimo thoro procreatum. Jubetur igitur afferre illius rei testimonium, quod testimonium vulgo appellant *das manrecht*, quasi dicas, jus viri. Illud igitur testimonium ubi attulerit, & literas illas testimoniales magistratui ostenderit, dicit, *das ist mein Manrecht*, ubi planum est, literas illas testimoniales dici ipsura

jus viri, quum tamen propriè loquendo id non sint, sed tantum ejus testimonium. Dicuntur ergo id esse per metonymiam subjecti, qua ex re significata signum ipsum intelligitur. Sic si quis manu teneat testamentum patris, & rogatus quid teneat, respondeat, *Das ist meines vatters letzter will.* id est, Hoc est patris mei ultima voluntas: planum est, testamentum non esse ipsam ultimam voluntatem, sed tantum illius testimonium: unde etiam testamentum nominatum est, quod videlicet sit instrumentum quo quis de ultima sua voluntate testatur. Planè similis est metonymia illa Sacramentalis: qua panis sacrae cœnæ dicitur esse corpus Domini quod pro nobis crucifixum est: quum tamen propriè loquendo non sit ipsum corpus, sed tantum signum illius, & quidem significans atque testificans, illud pro nobis crucifixum esse.

*CAP. V. An doctrina Piscatoris de significatione sacramentali pugnet cum doctrina Orthodoxorum de presentia corporis Christi in Cena.*

Pag. 38.

**A**T Beza, inquis, largitur quandam presentiam: nec tamen explicat, quomodo id per metonymiam constet. Contrà autem Piscator putavit, illa concessa planè tollenda, et præter significandi rationem nihil admittendum. Equidem mihi persuadeo, D. Bezam satis suam sententiam explicasse: ad me verò quod attinet, dico, Hofmannum non posse ex libello meo demonstrare, quod concessa illa planè tollenda putem. neq; enim uspiam presentiam omnimodam planè sustuli: sed sustuli tantum

tantum præsentiam corporis Christi cum pane: quam D. Beza (quod ego sciam) nusquam concessit. Si enim concessisset: quid fuisset opus contra te disputare? quum tu pro illa præsentia potissimum depugnes. *Attamen*, inquis, *præter significandi rationem nihil admittendum putas.* Verum si perpendere voles, qualem ego significandi rationem in libello meo exposuerim: videbis, me per illius affirmationem non tollere præsentiam illam quam nostri vobis concesserunt. Illam autem significandi rationem ego sic declaro, ut dicam, *panem Eucharisticum sacramentum esse corporis Christi: hoc est, sacrum signum ac testimonium divinum, quo Christus fidelibus testatur, se corpus suum pro ipsis in cruce obtulisse patri ad expiandum ipsorum peccata, atque ita ad patrem eis placandum, gratiamque illius erga ipsos promerendam.* Quod qui credit, atque ita testimonio huic divino fidem habet, *is hoc ipso vescitur spiritualiter corpore Christi crucifixo, dum scilicet acquiescit in gratia Dei sibi per illud reconciliata, atque ita in Deo gaudet & vivit.* Hæc tibi. Cum quibus doctrina nostrorum de præsentia spirituali corporis Christi in Cœna non pugnat, sed consentit: quippe quum corpus Christi eatenus dicatur esse præsens in Cœna (non tamen in pane Cœnæ) quatenus per virtutem Spiritus & testimonium verbi ac sacramentorum seu sacrorum signorum, panis & vini, obicitur actui & contemplationi fidei, ut crucifixum pro nobis. Ita autem obijci, atque ita præsens esse, constat ex illa metonymia. Quum enim fidelis audit, panem illum esse signum

Vide libellum  
mei pag. 25.  
& 26.

Pag. libelli  
mei 26.



corporis Christi, significans, illud pro nobis esse crucifixum: statim fertur in illius contemplationem, & crucifixionem ejus per fidem sibi applicat, atque ita vitam ex illius morte haurit.

- Pag. 38. Porro quod addis: in ista opinione, quod corpus tanquam res signata prædicetur de pane tanquam de signo, me delitescere: Calumnia est. nam aperte me agere, omnes vident. Quod  
 Pag. 39. item mones, me committendum esse cum Calvino & Beza: prodis malitiam animi tui: sed nihil apud æquos rerum æstimatores proficies.

CAP. VI. *An metonymia verborum Domini rectè sit à Piscatore demonstrata per exemplum locutionum Scripturae de Circumcisione & de Agno paschali.*

- HActenus disputatum est de quæstionis secundæ argumento primo: sequitur nunc de secundo: quod sumptum est ab exemplo circumcisionis & Agni paschalis, per ratiocinationem à pari. Propositio mei syllogismi est. *Quæ ratione Circumcisio dicitur sædus Jehove, item agnus paschalis dicitur esse transitus Jehove: eadem ratione panis Sacrae cœnæ dicitur esse corpus Christi crucifixum.* Hanc adversarius negat: propterea quod non sit expressè tradita à Christo in institutione sacrae cœnæ, nec alibi in sacris literis legatur. Egregia verò refutatio! Quasi verò fidem non mereatur explicatio scripturae, facta per collationem similiû locorum! Et quasi nihil
- Pag. 40.

nihil verum sit in doctrina Christiana, nisi totidem verbis legatur in Sacris literis! Quomodo igitur doctrinam Christianam de Sancta Trinitate personarū in una essentia Dei, itemque filium Dei ὁμοούσιον esse Patri, contra hæreticos defendet Hofmannus: quum ista vocabula in sacris literis nusquam legantur? Quare omittere potuisset scoticum illum suum verbum spondaicum: quem ad me irridendum hic subiunxit.

Jam ad probationem propositionis quam Pag. 40. attuli, sic respondet: *De similibus idem est judicium: scilicet, inquit, si judicium hoc circa explorata similia versetur, & ad dissimilia non extendatur. Hic verò (assumit) & similitudinis λόγος certus non docetur, & judicium à dissimilibus non abstinet.* Conclusionem relinquit intelligendam, nempe hanc: Ergo hic, id est, in locutionibus de Circumcisione itemque agno paschali & cœna Dominica, non est idem judicium. Ego verò istius syllogismi utramque præmissam nego, tanquam ex parte falsam. Major enim falsa est, quatenus dicitur, tum demum de similibus idem judicium esse, si judicium ad dissimilia non extendatur. At sic nunquam de similibus idem judicium erit: quia nihil alteri tam simile est, quin aliquatenus sit dissimile. Unde vulgò dici solet: omnem similitudinem claudicare, nec quatuor pedib. currere. Deinde falsa est & Minor, quatenus dicit, non doceri hic certum similitudinis λόγος. Et enim hic λόγος est ipse finis, omnibus Sacramentis, ac proinde illis quoq; propositis, com-

Pag. 40.

munis: quem finem ego in libello disertè esse dico obfignationem promissionis gratiæ. Atq; hæc de prosyllogismi mei propolitione: Jam ad assumptionem sic responderet: *Sacramenta sunt res inter se similes, inquit, scilicet quo ad genus sacramentorum: non autem quo ad propria singulorum. tum assumit: Proprium autem sacræ cœnæ his locutionibus continetur, Panis benedictus est corpus Christi accipienti & vescenti: & Vinum benedictum est sanguis Christi accipienti & bibenti.* tandem concludit: *Non igitur hoc ipso assimilabitur aliis speciebus, à quibus suo proprio discernendum est sacramentum hoc.* Respondeo: Assumptio istius syllogismi est falsa ex parte: quatenus videlicet de locutionibus illis simpliciter & in univèrsum affirmat, quod tantum de aliqua earum parte verum est, nempe proprium sacræ cœnæ illis contineri. Id enim verum est tantum de illarum enuntiationum subiectis, quibus continentur propria hujus Sacramenti signa seu symbola. At interim earundem enuntiationum prædicatis continetur id quod omnibus Sacramentis commune est, videlicet res significata: quæ est Christus pro nobis crucifixus. Quare etsi cœna à reliquis sacramentis discernatur symbolis: tamen eis similis est quoad rem significatam & finem: ac proinde mirum non est, si res signata de symbolis simili ratione dicatur in Cœna, qua de eisdem dicitur in aliis sacramentis: ut in circumcissione & agno paschali: videlicet per metonymiam subiecti.

Quod verò Hofmannus ad syllogismi sui propo-



propositionem exornandam atq; amplifican-  
 dam adjecit, *se similitudinem illam sacramentorum*  
*quo ad genus, liberalius largiri, quam a nobis ex verbo*  
*Dei possit demonstrari:* inanis gloriatio est: neq; hic  
 quicquam ipsius liberalitate est opus: sed *ar-  
 tu* hoc theologicum, justum & æquum est, cu-  
 jus veritas ex singulorum sacramentorum in-  
 ductione & inter se collatione cuiusvis discendæ  
 veritatis cupido facile elucescit. Ad Christum  
 enim tanquam communem scopum, ut ver-  
 bum, ita sacramenta quoque tam veteris quam  
 novi testamenti respiciunt: ut percipitur ex his  
 dictis: *Circumcisio est fœdus seu signum fœderis,* nem-  
 pe fœderis illius gratiæ quod Christus, sua mor-  
 te sancivit: & similiter, *Poculum sacre cœnæ est no-  
 vum illud fœdus* (id est signum illius) quod lan-  
 guine Christi confirmatum est. Sic agnum pas-  
 chalem fuisse typum Christi, docet Joannes  
 cap. 19. ubi quod de illo præceptum erat, ne os  
 ei frangeretur, in Christo pendente in cruce  
 impletum dicit. Item Paulus 1. Cor. 5. quum ait,  
*Pascha nostrum pro nobis mactatum est, nempe Chri-  
 stus.* In locum autem agni paschalis sacra cœna  
 à Domino instituta est: sicut baptismus in lo-  
 cum Circumcisionis. Huc facit etiam collatio  
 sacramentorum illorum veteris testamenti ex-  
 traordinariorum cum nostris, quam instituit  
 Paulus 1. ad Corinth. 10. cōparans nostram cœ-  
 nam cum patrum manna & aqua profluente ex  
 petra: & utrorumq; eandem rem significatam  
 docens esse Christum: ubi dicit, patres eandem  
 escam spiritualem edisse & eundem potum

spiritualem bibisse. at non ederunt eandem escam quam nos, nec biberunt eundem potum quem nos, quoad signa: illi enim ederunt manna, panem illum cœlestem: nos edimus panem é frumento confectum: illi biberunt aquam é petra profluentem: nos bibimus vinum. Ergo ederunt escam eandem quam nos, quoad rem significatam: itemq; eundem potum biberunt: Ea autem res significata est Christus: sicut Apostolus claré docet, ubi ait, *Petra autem illa erat Christus*, id est, erat typus Christi, quippe quem significabat ac præfigurabat. Præterea quod Hofmannus attexit syllogismi sui assumptioni, sophisticum est additamentum: dum scilicet locutiones sacræ cœnæ recitat hac forma: *Panem benedictum est corpus Christi accipienti & vescenti*: item, *Vinum benedictum est sanguis Christi accipienti & bibenti*. Nam additamentum istud nec expresse continetur in verbis institutionis: nec illius veritati per omnia congruit. Etenim panis ille non cuilibet accipienti & vescenti, corpus Christi est: nec vinum illud cuilibet accipienti & bibenti, sanguis Christi est: sed tantum accipienti, edenti & bibenti cum fide. quia iis qui non credunt, promissio gratiæ per hæc sacramenta non obsignatur: quippe quæ ad eos non pertinet. Ad hæc calumniatur Hofmannus, dum quod ego similitudinem vocavi, ipse confusionem nominat, inquit: *Neg. singularium confusionem præstat, quod unus sit omnibus finis, nempe obsignatio promissionis gratiæ: cum distinctorum, ad unum fidem possit esse directio*. At ego, inquam,

quam, nullam hinc confusionem introduco: sed quæ singularia atq; distincta & singulis Sacramentis propria sunt (quæ sunt, inquam, non quæ Hofmannus esse fingit) suo loco relinquo. Ea autem sunt tum ipsa sacramentalia signa sive symbola, tum modus significandi: quam modi diversitatem in aphorismis meis de Sacramentis (qui in libello Aphorismorum doctrinæ Christianæ extant) satis perspicuè exposuisse mihi videor. quò lectorem Christianum brevitatæ studio remitto.

CAP. VII. *Sophisma Hofmanni contra exemplum Circumcisionis allatum refellitur: ac simul differitur de usu Circumcisionis, itemq; Baptismi, in infantibus.*

**S**Ed contra illam argumenti mei partem, quæ sumpta est ab exemplo circumcisionis, affert adversarius peculiare sophisma, dum sic loquitur: *Utile etiam fuerit considerare quòd circumcisio inde non constituatur sacramentum, quia dicitur sœdus. Cum enim adversarius per illud hoc dicitur, circumcisionem esse signum sœderis seu sœdus obstringere, effectum circumcisionis indicatur: unde certè non est constitutio Sacramenti: nisi effectum pariat suam causam. Cum igitur ista locutio, ne quidem circumcisionem faciat Sacramentum: quomodo eadem erit regula probandi constitutionem sacramenti alterius, & sic etiam sacra cœnæ? Hactenus ille. Quæ secundum artem resolvemus, ut sophisma detegatur. Syllogismus igitur principalis, est hic:*



*Si locutio illa qua circumcisio dicitur esse fœdus, nō ipsam quidem circumcisionem facit sacramentum: multo minus locutio illa erit regula probandi constitutionem sacramenti alterius, & sic nec sacra cœna.*

*At antecedens est verum.*

*Ergo & consequens.*

Hic primum observetur, adversarium aberrare, aut certe de industria abducere me vel le à proposito. Etsi enim verum est, verbis illis Domini, *Hoc est corpus meum, &c. item, Hoc est sanguis meus, &c.* sacramentum cœnæ constitui, saltem ex parte, quatenus nimirum illis verbis continetur promissio: ad constitutionem verò sacramenti pertinet quoque mandatum, quod continetur illis verbis, *Accipite, edite, bibite*: tamen hic de constitutione sacramenti cœnæ nō est instituta quæstio: ac proinde falsò mihi attribuitur, me locutionem illam de circumcisio-  
ne, qua illa dicitur esse fœdus, afferre tanquam regulam probandi constitutionem sacramenti cœnæ. Sed quæstio est de loquendi modo & ex consequenti de genuino verborum sensu, an scilicet verba illa Domini, *Hoc est corpus meum, &c.* simili locutione dicta sint, ac proinde similem sensum habeant, ut illa quibus *circumcisio dicitur esse fœdus*. Quare si hæc consideratio de constitutione Sacramenti utilis est ad disputandum quæstionem propositam: nimirum utilis erit per talem argumentationem:

*Si hæc locutiones, Panis cœnæ est corpus Christi, & Vinum cœnæ est sanguis Christi,*

*sti, similes essent isti, Circumcisio est fœdus: tum oporteret, ut per illas cœna constituitur sacramentum, ita etiam per istam sacramentum constitui circumcisionem.*

*At hoc non fit.*

*Ergo locutiones illæ non sunt similes inter se.*

Ego verò nego assumptionem: & contrarium paulo-pòst suo loco ostendam: nempe verbis illis, *Circumcisio est fœdus*, Circumcisionem sacramentum à Deo constitutam esse. Si verò consideratio illa hoc modo ad propositum utilis non erit: non video ad quid sit utilis nisi ad abducendum me à proposito in disputationem multis difficultatibus implicitam: ut patebit. quod quidem consilium suum author suo ipseus indicio velut forex prodit, ubi ait pag. 42. in hujus loci conclusione: *De his triticis quibus se Calviniani turpiter involvunt, cogitare utile est.* Sed ad syllogismum ex ipsius authoris verbis erutum respondeo negatione assumptionis. nego enim, locutione illa qua circumcisio dicitur esse fœdus, non constitui ipsam Sacramentum: quod perinde est ac si affirmarem, circumcisionem illa locutione sacramentum constitui. Verùm adversarius assumptionem illam suam conatur probare, ad hunc modum:

*Ex obsignatione fœderis non constituitur circumcisio sacramentum.*

*At locutione illa qua circumcisio dicitur esse fœdus, indicatur obsignatio fœderis, ut vult adversarius.*

*Ergo ex illa locutione non constituitur circumcisio  
sacramentum.*

Ac ne hic tergiverfetur adverfarius, & criminetur me falfo refolvere: non pigebit annotare, ubi fingulæ hujus fyllogifmi fententiæ in ipfius contextu contineantur. Igitur propositio continetur in fuo profyllogifmo ibi: *Unde certé non eſt conſtitutio Sacramenti.* Aſſumptio ibi: *Cùm enim adverfarius per illud, hoc dici velit, circumcifionem eſſe ſignum fœderis ſeu fœdus obſignare, effectum circumcifionis indicatur.* Concluſio ibi: *Utile etiam fuerit conſiderare, quòd circumcifio inde non conſtituatur Sacramentum, quia dicitur fœdus.* Et rurfus ibi: *Cùm igitur iſta locutio ne circumcifionem quidem faciat Sacramentum.* Ubi ante omnia haud immerito quis miretur, Hofmannum ſententiam quam pro vera habet, concludere ex ſententia adverſarii quam pro vera non videtur habere, hoc enim innuunt illa verba: *Cùm adverfarius per illud hoc dici velit.* Sed ad Syllogiſmum illum reſpondeo: ac primùm nego conſequentiam: quia ſunt quatuor termini: Aliud enim eſt *ipſa fœderis obſignatio*, cuius mentio fit in majore: aliud verò, *indicatio illius obſignationis*, quæ obtruditur in minore. Si locutio illa de circumcifione, eſſet ipſa fœderis obſignatio: tum demum Syllogiſmus conſiſteret.

Deinde nego, majorem proſiſitionem ſimpliciter eſſe veram. Etenim obſignatio fœderis dupliciter reſpectu circumcifionis conſide-



considerari potest: nempe vel ut finis, vel ut effectum. Si consideretur ut effectum, vera est. Nam efficiens non constituitur ex effecto. Si verò consideretur ut finis: tum propositio falsa est: quia hic finis ad integritatem formæ pertinet: quæ forma est relatio ad finem. Etenim circumcisio destinata fuit ad oblationem fœderis tanquam ad suum finem: ac proinde sine hoc fine non potest definiri: quum illa ad finem relatio, sit ipsa circumcisionis forma. nam materia quidem circumcisionis, fuit ipsa illa externa actio, videlicet circumcisio carnis seu amputatio præputii: forma autem fuit, actionis illius relatio ad oblationem fœderis Dei, ex Dei mandato & promissione. Atque ex hac distinctione diluenda est approbatio, quæ Hofmannus propositionem sui Syllogismi confirmat. Prosyllogismus hic est:

*Ex effecto circumcisionis, non constituitur circumcisio.*

Approbatio: Quia ex nullius Sacramenti effecto constitutio ejus est. Ratio. Quia secus effectum pareret causam: id quod est absurdum,

*At oblatio fœderis est circumcisionis effectum.*

*Ergo ex oblatione fœderis non constituitur circumcisio.*

Respondeo: Concedo totum rectè intellectum: nempe si intelligatur, oblationem fœderis ita esse circumcisionis effectum, ut et-

iam sit ejusdem finis. deinde si intelligatur, circumcissionem non constitui ex obligatione fœderis; quatenus illa habet rationem effecti; id quod tamen non obstat, quô minus ex ea constituatur circumcisio, tanquam ex fine. Quæ quum ita sint: nimis temerè & confidenter Hofmannus conclusionem principalem enuntiat per talem interrogationem, qua innuitur, id de quo interrogat, impossibile esse.

pag. 41. ait enim: *Quomodo eadem (nôpe locutio illa de circumcissione) erit regula probandi constitutionem Sacramenti alterius, & sic etiam sacra Cœna?* At, inquam, ad hanc interrogationem respondere, non solum possibile, sed etiam facile & in promptu est. Quæris, quomodo illa locutio de circumcissione sit regula probandi constitutionem sacrae Cœnae? Respondeo: Sic nimirum, quatenus illi locutioni (quæ extra controversiam sacramentalis est, & qua circumcisio instituitur) similis est locutio ista de sacra Cœna, qua panis ille sacer dicitur esse corpus CHRISTI, itemque sacrum illud poculum dicitur esse sanguis Christi seu novum illud fœdus in sanguine Christi; quæ utraque locutio ipsa quoque extra controversiam sacramentalis est, & per quam utramque sacra Cœna à Domino instituta est, saltem quantum attinet ad promissionem: nam mandatum, quod & ipsum ad institutionem Sacramenti requiritur, continetur illis verbis, *Accipite, edite, bibite: item, Hoc facite in mei recordationem.*

Sed

Sed tanta est in hoc meo adversario contradi-  
cendi mihi libido, ut inde criminatio valde in-  
tempestiva, & si rigidius examinetur, cum  
blasphemia conjuncta, ei exciderit. ait enim:  
*Cum enim adversarius per illud (nempe, Circum-*  
*cisio est fœdus) hoc dici velit, circumcisionem esse*  
*signum fœderis seu fœdus obsignare. Quid agis Hof-*  
*manne? cur meæ voluntati attribuis, quasi à*  
*me excogitatum: quod Spiritus sanctus in*  
*scriptura expressè attribuit ipsi Deo? Etenim*  
*clara sunt verba Mosis Genes. 17. vers. 10. & 11.*  
*ubi Deus circumcisionem instituens, inter*  
*alia ad Abrahamum dicit: Hoc est fœdus meum in-*  
*ter me & vos & semen tuum post te, quod servabitis:*  
*ut circumcidatur vobis omnis mas. Circumcidetis igitur*  
*carne[m] praputii vestri, ut sit in signum fœderis in-*  
*ter me & vos. Ecce circumcisionem Deus pri-*  
*mò dicit esse fœdus suum: deinde hoc expo-*  
*nens, ait eam esse signum fœderis. Clarum*  
*igitur est, Deum ipsum per illud, hoc dici vel-*  
*le. Quare si tibi adversarius nominandus vide-*  
*tur, qui hoc ipsum vult, cave ne Deum tibi ad-*  
*versarium constituisse videaris. Verùm huc te*  
*abripuit, ut dixi, contradicendi libido: secus*  
*cautiùs locutus esses. Sed metuens tu ne for-*  
*tè sim negaturus, obsignationem fœderis esse*  
*circumcisionis effectum: sed potius velim*  
*contendere, esse finem: id quod vides me in*  
*hoc secundo meo prosyllogismo dixisse: ante-*  
*occupas & ais: Si autem fœderis signationem finem*  
*dixeris & usum, eodem res recidet: cum, usus Sacra-*

Pag. 41.



mentorū ad integritatem eorū non faciat: nisi ex fine, tanquam relationis termino, & hoc saltem respectu sacramentum definieris: quomodo circumcisio multis circumcisis non fuerit Sacramentum. Multa hic involvuntur: quæ ut clarè possint iudicari, per analysin logicam evolvenda sunt. Primum autem hoc monebo: non esse quod vereatur Hofmannus, me negaturum, obsignationem fœderis esse circumcisionis effectum: dummodo hoc rectè intelligatur: nempe quod Spiritus sanctus per circumcisionem tanquam divinum testimonium obsignationem illam effecerit non simpliciter in omnibus circumcisis, sed tantum in electis, & credentibus. nam incredulis & reprobis promissio gratiæ in fœdere comprehensa non potuit obsignari, quum illa ad istos non pertinerit. In electis autem atque credentibus solis & omnibus eam obsignavit: sicut etiam in hunc finem circumcisionem instituerat. Quare non pugnant hæc, si obsignatio fœderis simul finis & effectum circumcisionis dicatur.

Sed videamus, quid sibi hoc loco velit adversarius, & quomodo argumentetur. Vult autem confirmare sententiam illam quam paulo antè pronuntiavit, videlicet: *Ex obsignatione fœderis non constitui circumcisionem Sacramentum.* Istud autem tali argumentatione concludit:

*Finis*

*Finis seu usus Sacramentorum ad integritatem eorum non facit.*

*At obfignatio fœderis ( secundum Piscatorem ) est Sacramenti circumcissionis finis.*

*Ergo obfignatio fœderis ( secundum Piscatorem ) ad integritatem Sacramenti circumcissionis non facit.*

Atque ita videtur sibi antagonista meo meipsum gladio jugulasse. At ego nego syllogisimi istius propositionem: atque ita jugulum ab ictu antagonistæ adhuc illæsum retineo. Sed ille probat, sic:

*Si finis Sacramentorum ad integritatem eorum facit: sequetur, Sacramentum definiendum esse ex solo sine tanquam relationis termino.*

*At hoc non est.*

*Ergo nec illud.*

Propositionem cōcedo dextré intellectam, nempe si intelligatur de differentia ex qua sacramentum definiendum sit. Secus fuerit falsa, nam ad definitionem pertinet quoque genus: atque sic sacramenta definienda sunt partim ex relationis fundamento, videlicet, externa quapiam actione tanquam genere: & ex relationis termino, videlicet actionis illius sine, tanquam differentia: Atque sic recté definiatur circumcisio, quod fuerit amputatio præputiæ a Deo instituta ad obfignandum electis suis fœdus gratiæ. Propositione sic declarata nego assumptionem, qua scilicet negatur sacramentum definiendum esse ex solo sine tanquam relationis termino, intellige tanquam ex differentia.

Sed assumptionem antagonistæ confirmat à consequente (ut ipsi quidem videtur) absurdo. Etenim

*Si Sacramentum definiaris ( inquit ) ex solo sine sequetur circumcisionem multis circumcisis non fuisse Sacramentum.*

*At consequens hoc est absurdum.*

*ergo & illud antecedens.*

Ego rursus nego assumptionem: id est, nego absurdum esse, si dicatur circumcisionem multis circumcisis non fuisse Sacramentum. Etenim quemadmodum Apostolus Rom. 2. 27. 28. ait, Si transgressor legis fueris, circumcisio tua facta est præputium: Pari ratione verè dicere licet, si non credideris promissioni gratiæ, circumcisio tua facta est præputium. quòd si facta est præputium: non igitur erit Sacramentum incredulis. Sed antequam adversarius absurditatem consequentis ostendat, id est, assumptionem syllogismi propositi approbet, prius confirmat (quod tamen non erat opus) consequentiam propositionis connexæ: sed infirmo argumento: ubi ait, *Usus signi visibilis ad rem invisibilem signandam infantibus non constiterit, si animum infantis sensu externo motum, ut adulti, probes.* At hoc non est satis ad probandum, quòd usus circumcisionis infantibus nullo plañe modo constiterit: ac proinde quòd circumcisio illis non fuerit Sacramentum. Hanc consequentiæ infirmitatem previdens adversarius, anteoccupat modos quosdam qui de usu circumcisionis in infantibus poterant objici: quos



quos modos dum refutat, eo ipso absurditatem illius consequentis ostendere, & difficultatibus me involvere conatur. Ac primum quidem modum affert hunc, quod illa ob signandam rationem possit concipi mente alterius (puta patris fidelis) circumcisum (puta filium infantem) intuentis. Hunc modum tanquam absurdum rejicit: quippe quod nihil cuiquam Sacramentum fiat ex usu alterius. Nec ego sane istum modum statuere ausim; etsi interim non nego, ad pios parentes ex circumcisione infantum suorum consolationem aliquam rediisse, quatenus cum illa conjungebant considerationem promissionis, Ero Deus tibi & semini tuo; arcanis interim suis Deo relictis. Sed commemorat adversarius alterum quoque modum, quem & ipsum tollere conatur: quum ait, *Neque in mente Dei ista natura Sacramenti constitui debet.* Rationem addit: *Cum iste signandi usus in speculatione utentis ponatur a Sacramentariis, & ex visibilitate elementi causetur atque dependeat.* At ego istum modum usus circumcisionis in infantibus censuero statuendum. Etenim Deus per Sacramenta vult efficax esse in electis, & est efficax: licet nos efficaciam ejus in infantibus, qualis sit, ignoremus. Ratio autem, quam adversarius ad illum modum tollendum affert, ad infantes non pertinet, sed ad adultos, eosque electos. quam odiose hinc videtur uti vocabulo *speculationis*: quo vocabulo jam vulgus insanem cerebri humani phantasmam fere intelligit.

At Sacramētarii (quos iste odiosē & calumniosē suo more nominat) non statuunt usum Sacramentorum in tali phantasia, sed in contemplatione fidei, quæ nititur verbo promissionis DEI, ac proinde vivam consolationem ac lætitiā in DEO secum affert.

Pag. 42.

Istis subicit modum tertium, quem & ipsam rejicit: quanquam ille verbis potius quam sensu à secundo modo differre videtur. *Hæc ut declinent nonnulli (inquit) ad mysticum & admirandum opus Dei spirituale confugiunt. hunc modum ita rejicit: Sedita (inquit) Sacramentum tantum erit in ijs, quibus spiritualis ille fructus contingit; in reliquis ejusdem fructus expertibus eadem ratio cessabit.* Sanè verò inquam, sed nūquid hoc absurdum? Tu quidem Hofmanne, hoc esse absurdum conaris ostendere ex consequentibus absurdis, quæ attexis, inquit: *Itaque & Sacramenti natura nulla erit, vel suspendetur ad tempus.* At, inquit, prius illud ex dictis non sequitur. nam natura Sacramēti circumcisionis erat, obsignare promissionem gratiæ non promiscuè omnibus qui circumcidebantur: sed tantum credentibus adultis, & eorum liberis electis. Posterius, videlicet illa suspensio, qua fructus circumcisionis statuitur ad tempus suspendi: Si intelligatur de contemplatione fidei quæ pender à verbo, absurdum videri non debet. nam officium parentum erat, ut infantes suos ubi ad annos quos discretionis vocant, quum jam doctrinæ capaces erant, pervenissent, de circumcisionis mysterio erudirent: per quam institutionem Deus

Deus in illis fidem (quæ teste Apostolo, ex auditu est) operabatur. At fidei capacitatem infantibus derogari, tibi Hofmannæ per absurdum videtur: Infers enim hinc, eos qui hoc faciunt, signaculum fidei in circumcisione & baptismo infantum (mones autem te loqui de ipsa actione qua circumcisio & baptismus peragitur) *revera vanum ostendere*. At, inquam, quid Deus in infantibus operetur, nos later: quia non est nobis in verbo Dei revelatum. Interim ex verbo Dei colligere possumus: quod non operetur in eis fidem qualis est in adultis: quia illa est ex auditu, cujus infantes capaces non sunt. Etsi autem statuatur, nec olim circumcisionem, nec hodie baptismum in ipsa actione seu eo ipso momento quo peragitur, efficacem fuisse aut esse: non tamen hinc sequitur, vel illam vel hunc reddi vanum. nam si infantes electi erant, circumcisio efficax erat in eis ubi adolevissent. Eadem hodie ratio est baptismi. An autem Deus in ipsa administratione Sacramenti aliquid in infantibus operetur, & quidnam operetur: id nos later. Et circumcisio ad Rom. 4. dicitur à Paulo signaculum non *fidei* (ut hic loquitur Hofmannus) sed *justitiæ fidei*: *σημα τοῦ δικαιοσύνης τῆς πίστεως*. Et sic nominatur respectu adultorum: ut ex illo loco patet. Adducit enim exemplum Abrahæ jam adulti: & ait, eum accepisse signum circumcisionis, sigillum justitiæ fidei: id est, accepisse à Deo circumcisionem, tanquam signum fœderis, & ut per eam obsequeretur ipsi justitiæ fidei, qua jam antea in præ-



putio præditus fuerat. Quare hoc perperam ab Hofmanno ad infantes transferitur: qui ut auditus, ita & fidei, quæ ex auditu est, nondum sunt capaces. Nec tamen propterea remissio peccatorum in fœdere promissa, electis infantibus denegatur, ac proinde nec fœderis Sacramentum circumcilio, itemq; baptisimus, in eis evacuatur vanūve redditur: Et si eis iustitia non eadem ratione, qua adultis, à Deo imputetur.

Sed videamus, quàm pulchrè Hofmannus hunc locum concludat: *De his tricis, inquit, quibus se Calviniani turpiter involvunt, cogitare utile est, quoties doctrina Sacramentorum ex fine signandi fœderis æstimatur.* Quid ergo? tūne igitur ex illis tricis te possis extricare atque expedire, non æstimabis Sacramenta è suo fine, in quem à Deo sunt instituta, ut expressum Dei verbum testatur? Quanquam sanè istud in univèrsum hinc non audes: neque enim æstimationem illam prorsus rejicis, dum continenter addis: *ut insufficientia subinde docentem impellens, in scopulos tollat, &c.* Statuis igitur, illam doctrinæ Sacramentorum æstimationem ex fine, videlicet ob signatione fœderis, esse insufficientem. Concedas ergo necesse est, illam ad rem facere, saltem ex parte. Etenim de quo rectè dicitur, quod non sufficiat: id necesse est ut statuatur ad rem facere, saltem ex parte. At quomodo tu hinc tibi constas: dum nunc ex parte concedis, quod paulo ante in totum negasti. Negasti enim certè superiore pagina simpliciter

placiter & absque ulla exceptione, signationem fœderis ad integritatem Sacramentorum facere. Sed nunc ad sequentia pergamus.

CAP. VIII. *An doctrina de obsignatione fœderis per Sacramenta, sufficiens sit ad declarandum Sacramentorum naturam: & quomodo applicetur fœdus.*

**I**NSUFFICIENTIAM quam modò doctrinæ meæ attribuit Hofmannus, deinceps conatur ostendere his verbis: Denique & hoc mo-  
Pag. 47.  
 neanus, inquit, graviores causas quare circumcisio possit dici fœdus, omitti à Piscatore, in signandi tantum ratione diserto philosopho. Primum frigide admodum loquitur Hofmannus, quum ait, Possit dici: pro eo quod est, Debeat dici. Deinde calumnia videtur latere in verbo signandi: quod ille substituit pro verbo obsignandi; quo ego sum usus. Et si enim signandi quoque verbum apud veteres reperitur pro eo quod est Græcis σφραγίς unde & σφραγίς signaculum reddidit veteris interpretis: tamen obsignandi verbum usitatus est, & verbum signandi accipitur etiam generalius & minus emphaticè pro eo quod est simpliciter notare seu signum imprimere: licet id non fiat κρῶστος ἐννα, id est, causâ firmandi pacta conventa; ut quum signati vel obsignati dicuntur tabellæ. Videtur ergo oblique innuere Hofmannus, Sacramenta à me statui tantum notas professionis unde veri cultores Dei agnoscantur ab hominib. quam sententiam si mihi tribuit, injuriam mihi facit.

Pag. libelli  
mei 7.

nam ego expressé scripsi, Sacramentorum finem esse, *obsignare fidelibus promissionem gratiæ Dei*. Tertió animadvertendum est, doctrinam hanc de obsignatione fœderis per Sacramenta, ab Hofmanno hîc nō absque blasphemia extenuari atq; irrideri. Extenuat enim certé quum dicit, graviores causas á me omitti, & in signandi tantum ratione me disertum esse. tum irridet quoque, quum ait, me disertum esse philosophum, quum hanc doctrinam trado. quasi scilicet doctrina hæc ad philosophos profanos, non autem ad theologos & sacrarum literarum doctores pertineat. Sed interim non attendit, ipsum Spiritum sanctum in hac doctrina disertum esse: dum disertè & expressé enūtiatum illud, *Circumcisio est fœdus*, declarat & exponit per hoc, *Circumcisio est signum fœderis*. quam expositionem Paulus Rom. 4. retinuit atque secutus est, & amplius declaravit, quum scripsit, Abrahamum accepisse signum circumcisionis, sigillum justitiæ fidei. Atque utinam Dominus mihi hanc gratiam det, ut in saluberrima hac & solidæ consolationis plenissima doctrina quam disertissimus sim! quid enim? annon pio petitori maximam consolationem jure affert doctrina hæc, quæ tradit tantam esse Dei erga nos bonitatem, ut non contentus nudis verbis promittere nobis gratiam suam qua nos completi in æternum velit in Christo, dignetur huc se demittere æterna illa majestas & ipsissima veritas, ut verbis suis apud nos homunciones ac miseros peccatores fidem faciat additis ad promissionem



missionem sigillis: quæ in oculos nostros incurrentia, magis nos afficiant, mysterium salutis nostræ per Christum partæ velut pulcherri-  
mæ imagines repræsentent, & promissionis ve-  
ritatem cordibus nostris firmissimè persuadeant atque obsignent: atque ita efficiant (non quidem suavi, sed operante per ea Spiritu sancto) ut in placato Dei pectore suaviter acquiescentes filiali fiducia, fruamur ineffabili lætitia in Deo? Quid quæso majus aut amplius in hac vita à pio pectore possit desiderari? Dicit fortasse Hofmannus, me hic nimis disertum esse: neque ista omnia obsignandi verbo contineri. At, inquam, continentur ô amice, si animum modò velis attendere. Quum enim Deus instituerit Sacramenta ad obsignandum cordibus nostris suam gratiæ erga nos suæ promissionem: quis pius negare audeat, quin hoc ipsum in nobis per Sacramenta efficiat? Obsignatio autem hæc quid aliud est, quàm confirmatio fidei ac fiduciæ filialis, qua lætis animis recubentes in pectus Dei, morte Christi nobis placatum atque reconciliatum, incipimus vivere in Deo ex illo ipso paterni erga nos favoris gustu, atque ita persentiscimus in cordibus nostris initia vitæ æternæ? Unde Petrus Ioan. 6. audita ex Christo & intellecta salutari hac doctrina (quæ per sacram cœnam nobis obsignatur) de vita æterna nobis acquirenda per mortem ipsius, exclamat: Quò abiremus Domine? Verba vitæ æternæ habes. Sed ne hoc loco nimis prolixus videar: (quanquam hæc hujusmodi sunt,

ut nemini pio nimis prolixa videri, aut à quo-  
 quam satis pro dignitate edisseri possint) audie-  
 mus nunc, quid in hac doctrina Hofmannus  
 desideret. *Explicandum, inquit, potissimum est,*  
 Pag. 43. *quòd in circumcissione Deus pactum suum singulis ap-  
 plicaverit, & in fœdus circumcisos illo actu receperit,  
 per circumcissionem etiam operatus sit regenerationem  
 que fuit circumcisio absque manibus, qualis hodie et-  
 jam per baptismum præstatur: itaque circumcisio fut-  
 rit & signis & sigillum fidei actu præsentis. At, in-  
 quam, hæc omnia falsa sunt: partim aperte,  
 partim tectè: item alia in totum, quædam ve-  
 rò ex parte. quomodo igitur pro causis afferun-  
 tur propter, quas circumcisio possit vel etiam  
 debeat dici fœdus? Primò simpliciter falsum  
 est, quòd ait, Deum in circumcissione pactum  
 suum applicasse *singulis*. nam quibus Deus pa-  
 ctum suum (nempe fœdus illud gratiæ) appli-  
 cat: illis remittit peccata, ut in pacto illo pro-  
 misit: at peccata nullis reprobis remittit. qua-  
 re nec pactum suum illis applicat: ac proinde  
 non applicat singulis: nisi dicamus, nullos re-  
 probos fuisse circumcisos: contra doctrinam  
 Apostoli in epistola ad Rom. cap. 9. 10. & 11.  
 ubi de rejectione maximæ partis circumciso-  
 rum disputat, illamque rejectionem vaticiniis  
 prophetarum confirmat. Deinde ne de electis  
 quidem sine exceptione verum est, quòd De-  
 us illis pactum suum applicaverit in ipsa cir-  
 cumcissione. Etenim ex circumcisis electis  
 nonnulli circumcisi sunt adulti, alii infantes.  
 At his utrisque (saltem nonnullis) Deus pa-  
 ctum*

Etum suum applicavit ante circumcissionem. De adultis id planum est ex exemplo Abraham cui certè Deus pactum suum applicaverat & peccata remiserat, antequam circumcissionem institueret. Unde Apostolus de illo ait, cum accepisse signum circumcissionis, sigillum justitiæ fidei quæ erat in præputio. Si Abrahamus jam ante circumcissionem præditus fuit justitiæ fidei: certè habuit remissionem peccatorum in fœdere gratiæ credentibus promissam. De infantibus verò idem liquet, primùm ex formula fœderis, Ero Deus tibi & semini tuo: ex quo semine nõ possunt ullo jure excludi electi infantes, etiam ante circumcissionem: deinde id ipsum testimonio suo confirmat Paulus qui 1. Cor. 7. infantes ex fidelibus parentibus, imò vel ex altero tantùm parente fideli natos, expressè pronunciat esse sanctos; utique non naturâ: naturâ enim (ut idem Apostolus docet) omnes sunt filii iræ: sed quia comprehensi sunt in fœdere gratiæ, idque vi illius promissionis, Ero Deus tibi & semini tuo.

Eâdem falsitate laborat enuntiatum hujus loci secundum, ubi dicit, *Deum circumcisos in fœdus recepisse illo actu*, nempe actu circumcissionis: At, ut modò ostensum est, Abraham in fœdus erat receptus ante circumcissionis actum: qui ppe jam antè fide justificatus: ut liquet ex Gen. 15. & Rom. 4. Similiter electi infantes posterum Abraham, jam antè quàm circumciderentur, erant in fœdere, juxta promissionem, Ero Deus tibi & semini tuo. Et hodie consimiliter



in fœdere illo gratiæ sunt infantes electi fidelium, ut patet ex testimonio Apostoli 1. Cor. 7. ubi illos sanctos pronunciat: quod modò à nobis est declaratum.

Sequitur enuntiatum tertium, ubi ait, *Deum per circumcisionem operatum esse regenerationem: quæ hodie etiam per baptismum præstetur.* Hoc posset adversario concedi, si rectè intelligeret. Sic autem demum verum fuerit quod hic dicitur, si intelligatur, Deum per circumcisionem tanquam per divinum testimonium, operatum esse in adultis fidelibus, confirmationem fidei, & (ex consequenti) augmentum studii pietatis. Cujus operationis exemplum nobis proponitur in Davide 1. Sam. 17. v. 36. qui cum gigante illo Goliatho congressurus singulari certamine, confirmat (saltem ex parte) fidem suam à circumcissione; dum regi Sauli qui illum ab isto congressu tanquam imparem dehortabatur, inter alia sic responderet: *Tum leonem tum ursum percussit servus tuus: & Philistæus, præputiatus iste, ut unus ex eis futurus est: quum probro affecerit acies Dei viventis.* Simile exemplum proponitur in Ionathane regis Saulis filio, ejusdem libri cap. 14. v. 6. qui stationem Philistæorum cum solo armigero aggressurus, sic illum hortatur: *Agedum transeamus ad stationem præputiatorum istorum: forte faciet Jehova pro nobis: non enim est Jehova impedimentum, quin servet multis aut paucis.* At si enuntiatum istud Hofmanni intelligatur (ut ab ipso intelligi ex collatione præcedentium patet) de ipso circumcissionis actu & vi insita & (ut

& ( ut vulgò dicimus ) opere operato : tum falsum est. Repugnat enim ista opinio , circumcissionis naturæ seu rationi ac formæ : quæ est, ut sit medium divinitus ordinatum ad fidei per gratiæ promissionem effectæ confirmationem. Atque eadem est ratio baptismi : quippe qui circumcissioni successit.

Quartò pronuntiat Hofmannus, *Circumcisionem fuisse σφραγίδα & sigillum fidei actu præsentis.*

Hic rursus à verbis Apostoli ( quæ tamen citare videri vult ) recedit. Etenim Paulus Rom. 4. v. 11. circumcissionem non *fidei* sed *justitiæ fidei* σφραγίδα & sigillum appellat. Nec videtur hoc posse excusari, quòd sit σφάλμα τυπογραφικόν, quum supra quoq; pag. 42. itidem signaculum *fidei*, non autem *justitiæ fidei*, circumcisio appellata sit. Sed videtur potius esse σφάλμα μνημονικόν. Quanquam ad propositum parum interest, nam sive dicas, circumcissionem fuisse sigillum *fidei*, sive *justitiæ fidei* actu præsentis: neutrum κατὰ πάντος verum est. nam nec de infantibus electis, certò affirmari potest, in illis cùm circumciderentur, fidem actu fuisse præsentem: licet præsentem haberent remissionem peccatorum in fœdere promissam: & contrà de reprobis tum infantibus tum adultis, certò illa *fidei* & *justitiæ fidei* seu remissionis peccatorum præsentia negatur. Quæ quum ita sint, in fumos abit gloriosum istud Epiphonema adversarii, quod illi suæ graviorù scilicet causarù expositioni adjicit, dicens: *Hæc simul considerata, lusus Sacramentarios fortiter elidunt.* Scilicet,

CAP. IX. An presentia corporis Christi cum pane probabiliter cōcludatur ex collatione phrasium scripturae de Circūcisione et Agno Paschali.

Pag. 43.

**S**ED videamus tamen, quomodo illi videantur elidere. Posito enim, inquit, quod panis scilicet cœnae sit corpus Christi, quemadmodum circumcisio fuit sc̄dus: nequaquam inde sequitur, cum pane non praberetur & applicari corpus Christi præsens: sed ex collatione istarum phrasium ut nulla necessitate colletur, ita potius probabiliter affirmabitur presentia corporis Christi cum pane: sicuti cum circumcisione externa, præsens fuit initum & applicatum sc̄dus. Hic primò observandum, adversarium mihi falsò attribuire istam quam ipse negat consequentiam. neque enim illam in meo libello utpiam poterit ostendere. Etsi enim sententiam illam qua ipse contendit, corpus Christi cum pane cœnae esse præsens, rejicio: tamen contra ejus falsitatem in libello meo non disputo, sed tantum contra argumenta Hofmanni quibus ille eam pro vera defendit; quorum unum sumtum ab exemplo columbæ quam Johannes baptista vidit descendere super Jesum, refuto pagina libelli mei 23. & 24. Alterum verò quod ducit ab ipsis illis Domini verbis, *Hoc est corpus meum*, refello pag. 25. & 26. Deinde verò nego, presentiam corporis Christi cum pane, ex istarum phrasium collatione probabiliter affirmari: quæro enim, quæ sit ratio hujus probabilitatis? Adversarius rationem à pari affert hanc: quod sicut cum circumcisione externa præsens fuit sc̄dus: ita cum pane Cœnae præsens sit corpus Christi.



Christi. At, in quâ, ista collatio nititur falsa hypothesis: quasi nimirum quemadmodum se habuit circumcisio ad fœdus, similiter se habeat panis cœnæ ad corpus Christi. at hæc collatio est falsa: quatenus duob. illis Sacramentis tribuit diversam rem signatâ. Etenim res signatâ omnium Sacramentorum, tam veteris quam novi testamenti una est, videlicet fœdus gratiæ propter Christum crucifixum, licet diversis nominibus, in diversis Sacramentis appelletur. Et certè quod ad proposita duo vocabula attinet: fœdus tã pertinet ad rem signatâ sacræ Cœnæ, quàm circumcissionis: ut clarè percipitur ex disertis Christi verbis, *Hoc patulū est novū illud fœdus*. Et vicissim corpus ac sanguis Christi tã pertinet ad rem signatâ circumcissionis, quàm sacræ cœnæ. Quum enim verbo Dei expressè testatū sit, circumcissionē fuisse signum fœderis: quæro nūc, cuius fœderis? nonne fœderis illius gratiæ quo Deus promisit se fore credentibus. Judæis in Deū: quæ promissio apud Jeremiã cap. 31. in duas partes distribuitur, quarum una est de remissione peccatorum, altera de regeneratione per Spiritum sanctum. At (quæro nūc ampliùs) quonã fundamēto utraq; ista promissio nitebatur? Id docet copiosè Apostolus in epistola ad Hebræos tū alibi passim, tū cap. 9. v. 15. ubi de Christo loquens ait: *Et ob id novi fœderis mediator est: ut morte intercedente, ad redemptionem earum pravaricationum qua fuerant sub prioro testamento, vocati promissionem accipiant aeterna hereditatis*. Unde intelligimus, fœdus illud gratiæ sancitum atq; confirmatum esse sacrificio corporis

Christi in cruce oblato: sicut ibidem versu  
 præcedente expressè docet, inquit: *Quanto  
 magis sanguis Christi* (nempe quatenus cum sen-  
 su ire Dei effusus fuit tum in horto, tum in cru-  
 ce) *qui per spiritum æternum seipsum obtulit* (in sa-  
 crificium) *in culpatum Deo, purgabit conscientiam  
 vestram à mortuis operibus* (id est, à peccatis) *ad  
 serviendum Deo vivo*: nempe per gratiam Spiritus  
 sancti regenerantis, quem Christus nobis sua  
 morte non minus quàm ipsam peccatorum re-  
 missionem à patre promeritus est atque impe-  
 travit. Quare quum ista parium collatio nita-  
 tur falsa hypothese: nullam consequentiæ pro-  
 babilitatem ex se parit. Quin potius quemad-  
 modum corpus Christi pertinebat ad rem si-  
 gnatam circumcisionis, & tamen cum circum-  
 cisione seu in circumcisione præsens non erat:  
 quippe quod tempore circumcisionis (saltem  
 quoad maximam temporis illius partem) non-  
 dum erat natum: ita idem corpus Christi perti-  
 net ad rem signatam sacræ cœnæ, & tamen cum  
 pane seu in pane præsens non est, sed extra pa-  
 nem, pro veri corporis ratione.

CAP. X. *An agni paschalis natura rectè sit de-  
 clarata ab Hofmanno.*

I AM de altera phrasi, *Agnus paschalis est transi-  
 tus*, concedit adversarius veram esse quam  
 pagina libelli mei 7. & 8. attuli expositionem:  
 sed negat esse sufficientem ad totam sacramen-  
 ti illius naturam declarandam. Quasi verò  
 propositum mihi fuerit in libello meo totam  
 illius

illius Sacramenti naturam declarare: & quasi adpropositum meum non fuerit satis declarare metonymicum illorum verborum sensum, quo scilicet agnus ille dicitur esse transitus Jehovæ, quum non fuerit ille ipse transitus, sed transitus illius signum memoriale seu monumentum? Sed videamus quàm præclare Hofmannus naturam agni paschalis declarat. *Pro-* Pag. 44.  
*fecto, inquit, non præteriti solum, sed inprimis, & quidem cum hoc signo fœderis præsentis boni memoria & fides commendata fuit, beneficii nimirum misericordiæ & gratiæ, in sanguine Christi per agni sanguinem figurato promissi: tum etiam oblatis, & vescentibus in timore Domini verè exhibiti, symbolum fuit conditum à Deo: sicut in Psalmo III. quem Judei comedentes agnum paschalem decantasse dicuntur, præclare scribitur: Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: Escam dedit timentibus se, memor erit in seculum testamenti sui.* Primum miror quòd dicit Hofmannus, agno paschali commendatam fuisse memoriam boni præsentis: quum tamen omnibus notum sit, memoriam non esse rerum præsentium, sed præteritarum. Similiter miror, quòd dicit, agno paschali commendatam fuisse memoriam beneficii promissi atque beneficii quatenus consideratur ut promissum, adhuc expectatur ut futurum. Futurorum autem non est memoria, sed spes: sicut præsentium non est memoria, sed sensus: sensus inquam sive exterior, sive interior: prout res ipsa quæ sensu percipitur, præsens esse dicitur. Tertiò ait, beneficium illud cujus symbolum fuit



agnus paschalis, videlicet misericordiam & gratiam in sanguine Christi, verè exhibitum fuisse vescentibus in timore Domini. Hic *exhibitum* eo sensu dicit, quasi diceret *oblatum*: non rectè restringit ad vescentes in timore Domini, quod illis commune erat cum hypocritis timore Domini vacuis: etenim his non minùs quam illis gratia Dei per agnum paschalem fuit oblata: sed illi gratiam oblatam per incredulitatem repudiarunt. Si verò *exhibitum* dicit hoc sensu, quasi diceret *collatum* & ab exhibente acceptum: tum rectè exhibitionem gratiæ restringit ad vescentes in timore Domini, ac proinde cum fide: sed tum oro ut hujus suæ sententiæ sit memor, illamq; constanter tueatur, quum disputandum ei erit de manducatione quam vocant indignorum. Quum enim exhibitione hanc ex rei exhibitæ præsentia deducat (ut ex contextu verborum perspicitur) & verò negare non possit, quin eadem gratia præsens sit in sacra Cæna, quæ præsens fuit in agno paschali: negare non poterit, quin solis vescentibus in timore Domini ac proinde cum fide, gratia illa verè exhibeatur. Excipiet Hofmannus, se hoc constanter sentire: nec statuere, quòd gratia Dei exhibeatur seu conferatur infidelibus vescentibus in cæna Domini: at hoc interim non obstare, quò minùs tam infidelibus (quos vulgo indignos appellitant) quàm fidelibus exhibeatur seu conferatur, & ab illis accipiatur ipsum corpus Christi. Quasi verò corpus Christi à quoquam possit accipi & edi, quin simul accipia-

accipiatur gratia Dei nobis oblatione illius corporis parata? Stat enim verbum Christi Joh. 6. v. 54. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Si habet vitam æternam; Ergo habet quoque gratiam Dei; sine qua vita æterna nemini cõtingit. Sed ad propositum revertamur, & cõsideremus etiam quam appositè Hofmannus citaverit dictum psalmi. Citat autem hæc verba: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus.* Si hinc colligit Hofmannus, memoriam esse (ut dixit) boni præsentis, beneficii nimirum misericordiae: nã hæc mirabilis logica est: quum propheta dicat, Deum memoriam fecisse mirabilium suorum, intelligens memorabilia & mirabilia illa opéra & judicia quæ Deus exercuit, quum liberaret populum ex Ægypto: quæ opera certè quum iste psalmus cantaretur, fuerunt præterita, & illorum tanquam præteritorum memoria tum fuit culta. Deinde citat & illa, *Escam dedit timentibus se.* Si per hoc probare vult illud quod dixit, *Vescentibus in timore Domini verè exhibitum fuisse beneficium misericordiae Dei.* rursus Logica claudicat: quum propheta per escam non intelligat agnum paschalem de quo loquitur istud enunciatum Hofmanni: sed escam illam quæ cælitus pluebat in deserto, videlicet manna: ut consideranti patet.

CAP. XI. Calumnia quedam Hofmanni commemorantur, & de Sacramentorum substantia ac fructu nonnihil differitur.

Quæ hæcenus contra doctrinæ meæ insuffi-  
 cientiam disputavit adversarius, ea dein-  
 se repetit, adhibita suo more criminatione mei  
 falsa & reprehensione virulenta, & gloriatione  
 Thraſonica, ut quum ait: *Nulla modo probatum*  
 esse (ſcilicet à me) aut probari poſſe, quòd panis & vi-  
 num ſacræ Dominicæ Cœnæ ſimiliter ſint corpus & ſan-  
 guis Chriſti. nempe, ſicut circumciſio fuit fœdus:  
 & ſicut agnus paſchalis fuit tranſitus Jehovæ:  
 item, quum ait, *His* (quæ ipſe contra insuffi-  
 cientiam doctrinæ meæ diſputavit) *obſervatis, pro-*  
 beri argumentum non leve ad confundendum diſputa-  
 torem, id eſt, me. item, quum dicit: *figuram* (id  
 eſt, tropum) *componi* (nempe à me) *ad nudam ſi-*  
 gnandi naturam. item, *per illam figuram potiora ne-*  
 gli. item, *figuram iſtam ut ſufficientem à me obtru-*  
 di: denique, *me deſraudare auditores pretioſioribus*  
*bonis doctrine.* Quæ crimina omnia an verè do-  
 ctinæ meæ tribuantur, candidum lectorem  
 oro ut tum ex ipſo meo libello, tum ex iis quæ  
 de his rebus paulò antè diſſerui, iudicium fa-  
 ciat. Videtur tamen adversarius hîc inferere,  
 quaſi ἐν πρὸς δὲ, novum argumentum contrail-  
 lam quam ego in libello meo aſſerui, phraſum  
 Sacramentalium ſimilitudinem: & ex qua me-  
 tonymiam concludi. Sed verba illius argumen-  
 ti admodum obſcura ſunt, ut ſenſum eorum vix  
 mihi videar poſſe aſſequi. Negat, phraſibus il-  
 lis (*Circumciſio eſt fœdus, Agnus paſchalis eſt tranſitus*)  
 ſimiles eſſe has, *Panis ſacræ cœnæ eſt corpus Chriſti,*  
*Vinum ſacræ cœnæ eſt ſanguis Chriſti.* Rationem  
 iſtius



istius negationis exponit continenter his ver- Pag. 44  
 bis: *Cum substantia Sacramenti ejus usus & fructus  
 discrimen illustre præbeat institutio.* Ego fateor  
 me syntaxin horum verborum non assequi: ac  
 puto sic fortasse legendum: *Cum substantia Sa-  
 cramenti & usus ac fructus discrimen illustre præbeat  
 institutio.* Si hoc dicere voluit: tum videtur hæc  
 esse vis argumenti. Phrasæ illæ de circumcisio-  
 ne & agno loquuntur de illorum sacramento-  
 rum usu ac fructu: At phrasæ alteræ de cœna  
 Domini, non loquuntur de usu ac fructu illius  
 sacramenti, sed de substantia: de fructu autem  
 loquuntur alia institutionis verba, ut patet. In-  
 telligit autem fortasse illa verba, *Hoc facite ad mei  
 recordationem.* Ergo phrasæ hæc de Cœna, non  
 sunt illis alteris similes: nec proinde similem  
 sensum habent. At, inquam, omnibus istis  
 phrasibus & substantia & fructus illorum Sa-  
 cramentorum indicatur: quum fructus eorum  
 sit ipse finis ad quem illa à Deo sunt destinata,  
 in qua ipsa destinatione & ad finem relatione  
 substantia illorum sacramentorum (sicut &  
 cæterorum) consistit. Substantia enim rei,  
 principaliter est forma rei: at formam sacra-  
 mentorum in illa relatione ad suum finem esse  
 positum, supra declaravimus.

CAP. XII. *In prædicatis enuntiatorum Eucha-  
 risticorum metonymiam subjecti esse osten-  
 ditur.*

**H**Actenus de Syllogismi mei majore dispu- Pag. 45  
 tatum est. Ad minorem ait antè respon-

sum esse, quod metonymiam fingat que eruditorum definitionem non recipiat. Sed ego responsionem istā suo loco refutavi, quam refutationē studio- sus lector, si velit, in præcedentibus inquirat.

Quæ deinceps pag. 45. 46. 47. & 48. contra metonymiæ sententiam disputat, de iis jam supra aliquid respondi: & quidem respondi- tis, quantum ad principalis sententię meæ defen- sionem attinet: videlicet quum subjectum de adjuncto (ut signatum de signo) dicitur, in ejus- modi oratione siue enuntiatione metonymiā esse. Interim concedo, metonymiam subjecti recte definiri quū subjectum pro adjuncto po- nitur. Nunc autem assumo, in illis enuntiatis, *Panis cœnæ est corpus Christi, Vinum cœnæ est sanguis Christi*, subjectum pro adjuncto, nempe signatū pro signo poni, in ipsis videlicet istorum enun- tiatorum prædicatis. Etenim panis cœnæ nō est propriè loquendo ipsum Christi corpus, sed il- lius est signum: nec vinū cœnæ propriè loquen- do est ipse sanguis Christi, sed est illius signum. Nec tamen hoc obstat, quò minus vox illa in qua est metonymia, de alia voce (puta vox cor- poris Christi de pane cœnæ sacræ, itemque vox sanguinis Christi vel novi Testamēti in sangui- ne Christi de vino sacræ cœnæ) dicatur & enun- cietur. Hæc candido lectori ad defensionē me- tonymicam quam in verbis Domini statuo, pote- rant sufficere: ut ad oppugnationē illius quam hoc loco instituit adversarius, sigillatim respon- dere non videatur esse opus. Quare opero- sam illam responsionē hic omittere constitui-  
præ-

præsertim quum pleraq; quæ aduersarius contrâ disputat, admodum spinosa sint: ut labori descriptionis aut lectionis non videatur ipse fructus responsurus.

Sunt tamen quædam in istis paginis notatu digna: ut quod dicit pag. 47. *Ex hac oratione figurata (i. e. tropica) Toga est pax, enascitur regularis: Toga significat pacem, seu est signum pacis.* Bene, inquam, Recipio hæc: ac peto à te Hofmannè, ut hæc quæ illis similia dicturus sum, similiter tu recipias. Dico igitur: *Ex hac oratione tropica, Circumcisio est fœdus, enascitur regularis, Circumcisio significat fœdus seu est signum fœderis.* item, ex hac oratione tropica, *Agnus est transitus Jehovæ: enascitur hæc regularis, Agnus significat transitum Jehovæ, seu est signum transitus Jehovæ.* Item, ex his orationibus tropicis, *Panis cœnæ est corpus Christi, Vinum cœnæ est sanguis Christi: enascuntur hæc regulares, Panis cœnæ significat corpus Christi seu est signum corporis Christi: Vinum cœnæ significat sanguinem Christi seu est signum sanguinis Christi.* Excipies, hæc meis illis esse dissimilia. At ego ostendam esse similia. Etenim negare nō potes, quin apud Romanos sese habuerit toga ad pacem, tanquam signum ad rem signatam: quod ipsum Cicero expressè declarat, quum ait togam esse pacis insignis. At circumcisio quoq; ad fœdus se habuit ut signum ad rem signatam: teste Mose Genes. 17. & Paulo Roman. 4. Item Agnus paschalis ad transitum Jehovæ se habuit ut signum ad rem signatam, teste Mose Exod. 13. v. 9. Ad hæc panem cœnæ ad corpus Christi, itemq; vinū ad



sanguinem Christi se habere ut signum ad rem signatam: tu ipse concedis, dum symbolicam rationem in exponendis illis Domini verbis non sufficere contendis, item dum ab exemplo columbæ quam Johannes vidit super Jesu. præsentiam corporis Christi cum pane, itemq; sanguinis cum vino astruere conaris. Si enim non sufficit tibi symbolica illa expositio: ergo tuo iudicio locum suum habet. Et columbam illam fuisse symbolum Spiritus sancti, extra controversiam pono.

Deinde valde ineptis Hofmanne, quum pag. 48. dicis: *Notetur & hoc, quod in institutionis sacrae Cœnæ formula non possit (Piscator) monstrare metonymiam, cujus explicatio sit in his locutionibus: Panis est corpus Christi, & vinum est sanguis Christi.* Ineptè, inquam. Ad quid enim lectori conducit, aut ad quid tibi conducit, hoc notare? Quali verò metonymiam tali modo, qualem tu hic proponis, monstrare me oporteat! Quali non possim eam monstrare, atq; adeo satis monstrarim, modo alio. Quali denique explicationem metonymiæ oporteat esse in istis locutionibus: *Panis est corpus Christi; & vinum est sanguis Christi.* Imò, inquam, in his ipsis locutionibus ipsam metonymiam esse demonstravi: & hujus mee explicationis basin in affectione terminorum constitui, quorum scilicet prior ad posteriorem se habet ut signum ad rem signatam. Quare fallum concludis, quum dicis: *me desicere in origine & basi explicationis mee demonstranda.*

## CAP. XIII. De locutionibus Sacramentalibus veterum Ecclesie doctorum: &amp; nonnihil de sumptione Sacramentali.

**A**D hæc cavillaris, quod ad illustrandum propositum adduxi usum loquendi veterum Ecclesie doctorum quos patres usitate nominamus. Sic autem ais: *Quod verò ad hominum phrasas delabitur, istud sine verbo Dei parum momenti adfert.* At, inquam, ego usum illum veterum non tam ad probandum adduxi, quam ad illustrandum. nam posteaquam ostendissem ex verbo Dei, nomen pascha per metonymiam poni pro agno: adjunxi, *Sic veteres nomen corporis Christi ponebant pro nomine sacramentalis panis: quum dicerent, corpus Christi in sacra cœna manibus tangi, in terram labi & id genus alia.* Esse autem in istis patrum locutionibus eundem tropum quem esse ostendi in locutionibus scripturæ de agno paschali, ex ipsa rerum inter se collatione manifestum evadit. nam certè quemadmodum agnus paschalis signum fuit illius transitus Jehovæ qui nominatur pascha: ita etiam panis sacrae cœnæ signum est corporis Christi, revocans nobis in memoriam crucifixionem illius ac totum redemptionis spiritualis opus: quemadmodum agnus ille Judæis in memoriam revocabat transitum illum Jehovæ in Ægypto ac omnino totum opus redemptionis illius corporalis.

Quare ut in scriptura transitui illi attribuitur quod propriè fiebat in agno, illius signo: videlicet *ερωμαζεδου* parari, *πρωσδου* fieri seu con-

fici, & dicitur mactari: ita apud patres eadem prorsus ratione corpori Christi attribuitur quod propriè fiebat in facto illo pane, corporis Christi signo; videlicet tangi, in tertium labi, dentibus teri &c. At (excipit Hofmannus) si easdem locutiones (nempe locutiones illas veterum) ad doctrinam ex institutione certam & vetustati constantem redegeris: apparebit, corpus Christi non tantum pro pane poni, sicut res signata pro signo appellatur: sed quia corpus Christi cum pane à Christo promissum est, nec non prabetur sumenti, percipitur etiam ab eo, ut vel Calvinus & Beza fatentur, ideo corpus Christi tangi & labi dixerunt, cum panis tangitur & labitur. Hic primùm consideret cordatus lector, qualem Hofmannus presentiam sive existentiam corporis Christi cum pane statuat; videlicet realem & substantialem: id quod ipse disertis verbis profiteretur Disputatione secunda de cœna Domini, thesi l. x. & l. x. l. Quod quum ita sit: nego primùm doctrinam hanc ex institutione esse certam: & dico Hofmannum dum hoc affirmat, principium petere. Deinde nego, istam opinionem vetustati constare aut probari. nam contrarium ostendi potest, atque etiam à nostris ostensum est ex multis eorum dictis. Tertio nego, dogma istud concedi à Calvino aut Beza: ut quos constat contra illud multis scriptis in lucem editis disputasse. Quarto, quod dicit Hofmannus, Corpus Christi cum pane à Christo promissum: insolens certè locutio est. nam ut possit tollerari ista phrasis, promissum nobis à Christo esse



esse ipsius corpus, nempe in cibum vitæ æternæ, ut ipse docet Joh. 6. idq; quatenus datum est pro mundi vita, & quatenus á nobis editur fide: tamen quis unquam dixit, á Christo promissum nobis esse panem? etenim si corpus promissum est cum pane: sequitur, ipsum quoque panem promissum dici. Quinto, ut possit allegare consensum Calvini & Beza, ludit ambiguitatibus: ubi ait, *Corpus Christi cum pane præberi sumenti*: id quod ipse intelligit de præbitione manus & reali existentia cum pane: illi autem de præbitione per promissionem Evangelii, statuentes interim, corpus Christi realiter existere non cum pane, sed in cælo tantum. item quum addit, corpus Christi á sumente percipi: id quod ipse intelligit de sumente quoque vis, sive fideli sive infideli: item de perceptione oris: at illi id intelligunt de sumente fideli tantum, & de sola fidei perceptione. Sed videamus, quomodo tandem concludat Hofmannus, ex istis veterum locutionibus non argui metonymiam. Sic autem concludit: *Cumq; ista (nempe istamodo commemorata de corporis Christi cum pane existentia, præbitione, perceptione) in metonymia non insint: nec arguent eam, nec ex ea proferentur*. Redigamus in syllogismum:

*Si corporis Christi cum pane realis existentia, præbitione & perceptio, metonymiã argueret, aut ex ea proferri possent in locutionibus illis Patrum, quibus dicunt corpus Christi tangi & labi, cum panis tangitur & labitur: tunc sanè oporteret ista in*

*metonymia inesse, hoc est, oporteret metonymiam ejusmodi tropum esse quo ex nomine unius intelligeretur simul alterum quiddam cum illo quod nominatur, realiter conjunctum.*

*At ista in metonymia non insunt: nec metonymia ejusmodi est tropus.*

*Ergo corporis Christi cum pane realis existentia, præbitio & perceptio, metonymiam non arguunt, nec ex ea proferri possunt.*

Concedo totum: sed nego hac argumentatione metonymiam ex dictis illis patrum esse sublatam. Primùm enim nondum ostendisti, Hofmanne, patres realem illã corporis Christi cum pane præsentiam, præbitionem & perceptionem statuere. Deinde si id maximè ostendisses: opinio tamen illa metonymiam in illis illorum dictis non tolleret: vel te ipso

Pag. 43. *judice, ut qui dixeris: In locutionibus illis patrum, corpus Christi non tantùm pro pane poni, sicut res signata pro signo appellatur, sed &c. Concedis igitur & agnoscis, in dictis illis patrum, quum dicunt, Corpus Christi in sacra cœna tangi & labi, corpus Christi pro pane poni, & quidem ut res signata appellatur pro signo: sed isto non contentus, aliam istarum locutionum rationem adjungis. Quare metonymiam in istis dictis sic concedis, ut interim synecdochen quoq; in eisdem comminiscaris. Utrumque claris syllogismis ostendam ex verbis tuis. Ac primum quidem sic:*

Pag. 35. *Quoties res signata pro signo appellatur, metonymia est, confitente Hofmanno.*

*Arqui*

Atqui in illis patrum dictis, quibus dicunt corpus Christi in sacra cœna tangi & labi, res signata pro signo, videlicet corpus Christi pro sacro illo pane, appellatur, confitente eodem Hofmanno pag. 48.

Ergo necesse est ut idem confiteatur, in dictis illis patrum esse metonymiam: id quod ego in libello meo affirmavi.

Alterum verò de synecdoche sic ostendo:

Quoties pars pro toto ponitur, synecdoche est.

At in dictis illis patrum pars pro toto ponitur: videlicet corpus Christi pro toto illo quod secundum Hofmannum ex corpore Christi & pane est compositum: quippe quum corpus Christi statuat cum pane realiter esse conjunctum.

Ergo in dictis illis patrum, secundum Hofmannum synecdoche est.

Sed consideretur quoque an logicum esse videatur Discretum quod huc annectit Hofmannus, ubi ait: *Quamquam etiam studiosè abstineo* Pag. 48.  
*à verbis sive actionum sive passionum, quæ in institutione ad actionem usumq; non expressè requiruntur: ex patrum tamen phrasibus videre est, quòd verba, Accipite, Comedite, Bibite, quatenus externam actionem significant, à corpore Christi non debeant sequestrari, ut Sacramentarii faciunt.* Equidem discretionem partium nullam hinc possum cernere. Deinde consequens hujus discreti temerè pro certo affirmatur, quum nondum sit demonstratum. Etenim ex phrasibus illis patrum quibus actiones vel passiones proprias symbolorum, nempe panis & vini, tribuunt rebus significatis,



nempe corpori & sanguini Christi, non magis liquet, illas actiones & passiones à corpore & sanguine Christi, non debere sequestrari, sed debere illis realiter communicari, quam ex phrasibus scripturæ quibus illas actiones vel passiones proprias agni paschalis (quales sunt parari, confici, mactari) tribuit transitui Jehovæ in Ægypto, liquet illas ipsas passiones non debere sequestrari ab illo transitu, sed realiter ei communicari: quasi scilicet ipse ille transitus sit ad sacrificium paratus, confectus & mactatus. Quare non est mirum, quod Hofmannus ex hac falsa hypothese falsum deducit

pag. 49. consequens, quum ait: *Quod si verò ad corpus Christi pertinent ista externa, necesse est externæ sumtionis, ut propriè sacramentalis, imprimis præsentiam corporis & sanguinis Christi promitti, & propter præsentiam istam panem esse corpus Christi in externæ actione sacramentali.* At hîc, inquam, falsa fallis annectuntur. ne dicam de insolenti ista locutione & ἀνευρολογία, qua dicitur, præsentiam corporis & sanguinis Christi promitti externæ sumtionis. quid? quod nec illud simpliciter verum est, externam sumtionem esse propriè sacramentalem. Etsi enim sumtio externa symbolorum panis & vini quæ fit manu & ore, eatenus dici potest sacramentalis, quatenus est sumtio Sacramentorum, id est, rerum divinitus destinatarum ad aliquid mysticum significandum (quo sensu etiam nostri externam Sacramentorum sumtionem sacramentalem vocant) tamen propriè loquendo externa

terna sumtio tum demum veré sacramentalis est, quum res illæ externæ, panis & vinum, sumuntur ut Sacramenta, id est signa ac testimonia gratiæ Dei in Euangelio credentibus promissæ: quæ sumtio absq; fide, id est, absq; sumtione spiritali constare non potest; nam absque hac sumtio illa externa, etsi est Sacramentorum, tamé revera non est sacramentalis, sed meré physica & naturalis; qua ratione mures quoque panem illum sacramentalem edere possunt. Si veró in homine panem illum edente accedat superstitio (ut si putet se uná cum pane edere ore suo ipsum quoq; Domini corpus, vel per istam sumtionem consequi remissionem peccatorum) tum ista sumtio non meré physica, sed partim physica, partim superstitiosa atq; idololatrica est.

Quod autem addit Hofmannus, Sacramentalem illam quam ipse posuit, sumtionem sensu Calviniano tolli, quippe qui spirituales tantum spiritali sumtione præsentiam largiatur: sciat id meritó fieri: quum absque spiritali sumtione sumtio illa externa nomen sumtionis sacramentalis non mereatur. Nec tamen est quod quis putet, spirituales & sacramentalem sumtionem hoc modo confundi. Nam spiritalis quidem sumtio potest fieri absque sacramentali: at sacramentalis (si proprié loqui velimus) non potest fieri absq; spiritali. Etenim nullum sacramentum potest accipi *ut sacramentum* (quod nihil aliud est quam *sacramentaliter*) nisi per fidem.

Fides enim sola, non autem corporis membra, intelligit ac percipit significationem atq; testificationem, quam Deus suo verbo externis rebus attribuit.

Sed quod addis, valde inconsideratè (ne quid gravius dicam) pronunciatum est, nempe per illam sententiam de spirituali sumptione corporis & sanguinis Christi in cœnâ, rem revera ad nudam significationem Cinglianam redire. Quid ergo? num igitur spiritualis sumptio est nuda significatio? aut num significatio quam Deus ipse rebus externis attribuit ad nos de salute nostra meliùs erudiendum ac pleniùs consolandum, absq; blasphemia dici potest nuda?

Verùm enimverò quod Hofmannus ita simpliciter ac nudè affirmaverat, mox videtur limitare velle, quum ait: *Quatenus actionem sacramentalem à fructu distinctam spectas.* Sed hæc limitatio nullam vim habet. nam etsi actio sacramentalis à fructu distincta est, tamen non idcirco meretur dici nuda, quum si verè sacramentalis sit, fructu nunquam denudetur, sed illo semper (ut ita dicam) vestiatur, illumque sibi adjunctum habeat: ut ex paulo antè dictis potest intelligi. Sanè corpus veste amictum, non potest dici nudum: & tamen interim à veste manet distinctum.

Quòd autem ad extremũ annectit, *in actione sacramentali censendã esse vim verborum Christi, Hoc est corpus meũ:* obscure mihi dictũ videtur. quippe quum illis verbis nõ præcipiatur actio sacramentalis: sed proponatur doctrina & promissio de



de corpore Christi in mortem pro nobis dando, ut ea ratione nobis fieret cibus vitæ æternæ: quemadmodum Christus Johan. 6. declarat. Eatenus tamen vis illorū verborum Christi censeferi potest in actione Sacramentali: quatenus fidelis intelligit & considerat, verbis illis panem illum sacrum ordinatum esse à Christo in Sacramentum corporis ipsius, ac proinde illum sumit ut tale Sacramentum: quæ sumtio actionis Sacramentalis vel præcipua pars est.

CAP. XIV. De hoc enuntiato, *Toga est pax; sitne metaphoricum an metonymicum: & an Metonymia locum habeat in verbis.*

DEINCEPS defendit se Hofmannus contra reprehensionem meam qua ostendi, enunciatum hoc, *Toga est pax*, non esse metaphoricū (ut ipse affirmat) sed metonymicum. Demonstratio mea clara est, & breviter comprehensa his verbis: *Sensus illorum verborum non est, togam paci esse similem, sed togam esse pacis insignem.* Quæ demonstratio ut adhuc clariùs perspiciatur, age concludamus eam syllogismis. Igitur contra Hofmanni metaphoram syllogismus hic est.

Pag. libelli  
mei 14.

*Si enunciatum hoc, Toga est pax, esset metaphoricum: tum sensus ejus esset, togam esse paci similem.*

*At hic sensus non est.*

*Non igitur est enunciatum illud metaphoricum.*

*Propositione hujus syllogismi sic confirmo:*

In omni enunciato metaphorico, in cuius predicato statuitur metaphora, per predicatum significatur res similis.

At in hoc enunciato, Toga est pax, in cuius predicato statuitur ( ab Hofmanno ) metaphora, non significatur per predicatum res similis.

Ergo hoc enunciatum, Toga est pax, non est metaphoricum.

Major liquet ex Metaphoræ definitione, & illustrari potest exemplis: cuiusmodi sunt, Herodes est vulpes, id est, similis vulpi, quoad astutiam. Pilo est asinus, id est, similis asino, quoad inscitiam literarum. Homo homini est lupus, id est, similis lupo: quoad crudelitatem.

Jam pro mea metonymia syllogismus hic est.

Si huius enunciati, Toga est pax, sensus est, togam esse pacis insigne: tum enunciatum hoc est metonymicum.

At illud.

Hoc igitur.

Propositionem sic confirmo.

Quum per subjectum significatur adjunctum, metonymia est.

Atqui quum per pacem significatur pacis insigne ( id quod fit in illo enunciato ) tum per subjectum significatur adjunctum, ut patet.

Ergo quum per pacem significatur pacis insigne ( ut fit in illo enunciato ) metonymia est.

Assumptionis veritas per se patet, & approbatur

batur testimonio Ciceronis in oratione in Pi-  
sonem: ut vulgò notum est.

Nunc videamus quid contrà disputet, &  
quomodo *Non* suam defendat Hofmannus.

Antequam ad quæstionem hanc disputandam  
accedat, concedit mihi, *Sacramentales locutio-*

*nes non esse metaphoricæ. Quod si tamen Cingliana*

*sententia, inquit, mihi probaretur, ut Piscatori non*

*dissimulo, quod ductu illius opinionis in metaphoram*

*potius quam in metonymiam ferri deberem, & meta-*

*phora mihi gratior esset. Quid ita? inquam. Quia*

*hujus assertione, inquit, quedam videntur redimi*

*offendicula, quibus in profanam eruditionem impin-*

*gitur à defensoribus metonymiæ. At quæ, inquam,*

*sunt ista offendicula? Ea hic non exponit, sed*

*exposuit partim supra, partim iterum exponet*

*in sequentibus. Ea autem sunt, quòd definitio*

*metonymiæ non admittit metonymiam in*

*copula. Id equidem concedo: & de hoc infra*

*sub quæstione tertia amplius disputabo. At*

*interim contendo ex metonymiæ definitione,*

*rectè collocari metonymiam in locutionum*

*sacramentalium prædicato. Neque huic sen-*

*tentiæ obstare clausulam illam à Christo addi-*

*tam, Quod pro vobis datur, &c. jam supra suo lo-*

*co ostendi.*

Istis ita præmissis, ad rem accedit: & in hac  
oratione, *Toga est pax*, metaphoram esse con-  
tendit. Ac primum rationes quas opposui,  
per se futiles esse ait. Refutet igitur, si potest.  
quanquam ego nò rationes plures, sed unicam  
isto quidem loco attuli: nempe eam, quam ad-

Pag. 48.

Pag. 50.



versarius mox recitabit. Tum ad amplifican-  
 dum addit: *Rationes illas meas maximè evanesce-  
 re in Sacramentorum doctrina: cujus tamen gratiâ hic  
 de metaphora voluerim rixari.* Ego verò non sum  
 rixatus, sed placidè disputavi: ut omnes can-  
 didi & æqui æstimatores possunt animadver-  
 tere. Et scire velim, cur rationes à me allatæ  
 minus valeant in doctrina Sacramentorum,  
 quàm in exemplis autorum profanorum. Sed  
 rationem à me allatam recitat, & refutare co-  
 natur his verbis: *Sensus, inquit, est, togam esse  
 pacis insigne: quam metonymiam esse nemo Rhetorice  
 peritus non videt.* Omnino inquam. Attamen  
 hoc audet negare Hofmannus, inquiens: *Ego  
 verò vel unum istius artis peritum mihi dari cupio, qui  
 id cum ratione doceat.* Si ferio cupis: en dabo tibi  
 eum ipsum, quem tu, ut verum hujus artis ar-  
 tificem subinde soles allegare, videlicet Pe-  
 trum Ramum. quid enim? annon is docet  
 metonymiam subjecti esse, quum nomen pro-  
 prium rei subjectæ ad significandam rem ad-  
 junctam traducitur? Et hanc definitionem tu  
 ipse contra me attulisti pag. 33. in principio se-  
 cundæ quæstionis. At nunc ego assumo; In  
 hac oratione, *Toga est pax*, nomen proprium rei  
 subjectæ (videlicet nomen pacis) traducitur  
 ad significandam rem adjunctam, videlicet in-  
 signe pacis, teste Cicerone in Pisonem. quod  
 quid aliud est, quàm id quod ego dixi, *Sensum  
 istius orationis esse, quod toga sit pacis insi-  
 gne?* Concludo firmiter: Ergo in ista oratio-  
 ne, *Toga est pax*, est metonymia. Sed contra  
 disputat

disputat Hofmannus hoc modo: Si enim sensus iste, inquit, metonymiam facit: quæ metonymia liberabitur, Toga est insigne pacis? quæ tamen est propria: in quam resoluta est tropica, Toga est pax. Hæc ille. Nos redigemus ista in syllogismum, ut certius possint judicari. Sic ergo argumentatur Hofmannus.

*Si hujus enunciati, Toga est pax, sensus iste, Toga est insigne pacis, metonymiam in illo facit: ergo hæc oratio, Toga est insigne pacis, non poterit à metonymia liberari.*

*At quæ hæc oratio, metonymica non est: quippe cum sit propria.*

*Ergo sensus iste non facit metonymiam in illo enunciato.*

Ego verò nego syllogismi hujus propositionem. Nam si hanc orationem, *Toga est insigne pacis*, metonymicam esse oporteret, quia illius alterius, *Toga est pax*, sensum metonymicum declarat & exponit, atque ita metonymiam in illo facit: sequeretur, omnem orationem quæ tropicum aliquod enunciatum exponitur, eodem tropo infectum esse: ac proinde orationes tropicæ non possent in proprias resolvi. At hæc possunt in proprias resolvi: vel Hofmanno teste, idq; in hoc ipso exemplo. ait enim: *Hæc oratio, Toga est insigne pacis, est propria: in quam resoluta est tropica, Toga est pax.* Atq; sic ipsius antagonistæ gladio jugulatur demonstrationis ab eo institutæ fundamentum. Sed eodem gladio jugulatur quoque illius thesis, quæ metaphoram statuens in ista oratione, *To-*

*ga est pax: metonymiam in ea esse negat. Arego contrarium ex ipsius verbis sic ostendo:*

*Omnis oratio tropica, quae resolvi potest in propriam ostendentem quod in predicato posita sit res signata pro signo, metonymica est.*

*At haec oratio, Toga est pax, est tropica quae resolvi potest in propriam ostendentem quod in predicato posita sit res signata pro signo, videlicet hanc, Toga est insigne pacis.*

*Ergo oratio haec, Toga est pax, metonymica est.*

Utramque praemissam adversarius concedit: Minorem, quum dicit, Oratio haec, *Toga est insigne pacis*, est propria in quam resoluta est tropica, *Toga est pax*. neque vero poterit negare, quum *pax* ponitur pro *insigne pacis*, rem signatam poni pro signo. Majorem vero proponit his verbis: *Sciat potius Piscator, quod signi mentio non simpliciter metonymiam faciat (quali vero ego sic statuam!) sed tum primum quum id quod signi rationem obtinet, pro re signata ponitur, vel contra.* At hoc, inquam, fit in isto enunciatum, *Toga est pax*. quippe ubi *pax* ponitur pro *insigne* live *signo pacis*. Quomodo igitur negare audes, in illo esse metonymiam?

Deinceps refutare aggreditur argumentum meum quo ostendi, orationem hanc, *Toga est pax*, non esse metaphoricam: quia sensus illius non sit, togam paci esse similem. Quid adversarius contra? *Neque morari debet.* Pag. 57. *inquit, quod Piscator in locutione hac, Toga est pax, non videt similitudinem. Quasi vero ego omnem hic negarim similitudinem! dixi, & adhuc*



huc dico: sensum istius enunciati non esse, togam paci esse similem. quod dum dico: non nego interim, togam paci esse aliquo modo similem. sed quaritur nunc de sensu istius enunciati: ut illo animadverso, cognoscatur tropus. quemadmodum si dicam (id quod sanè dico) sensum hujus enunciati, *Panis Eucharisticus est corpus Christi*, non esse, quod panis Eucharisticus corpori Christi similis sit: interim non nego, similitudinem aliquam inter illa esse: nec etiam nego, similitudinem illam esse metonymiæ illius sensus causam ac fundamentum. Quæ cum ita sint: apparet meram esse calumniam, qua deinceps adversarius tum hujus similitudinis quæ in Sacramentis est, inscitiam, tum in illa cognoscenda negligentiam mihi exprobat. Et est calumnia eo petulantior, quod non ignorabat adversarius, me similitudinem illam quæ in Sacramentis rectè à nostris traditur, ipsum quoque tradidisse pagina libelli mei 17. Sed mirus profectò hic est disputator: qui quod in nostrorum doctrina improbat, ipse interim tradit. Quum enim similitudinem illam, quæ in Sacramentis traditur à nostris, tanquam genuinæ expositionis fundamentum, rejecisset: tandem subjungit: *Tolle autem similitudinē, & metonymiæ causam sustuleris.* Pag. 52.

Bene, inquā, quis negat? Sed observatione dignū est, quo exemplo axioma hoc declarat: & quomodo illud ipsum exemplū ad propositū applicet: *Fasces, inquit, sunt imperiū: quia usum habent in imperio, & quū mediū sint per quod imperium.*

*exerceatur vel terrendo vel puniendo, imperii imaginem sustinent, & satis promptè præstant: Quia etiam toga sua similitudine pacem ostendit, ideo signum dicitur pacis.*

Attendatur, quæso, duarum istarum sententiarum cohærentia tum inter se, tum cum proxime præcedente. Præcessit sententia de Metonymia hæc, quòd qui similitudinem tollit, metonymiæ causam tollat. Huic mox pro exemplo subjicitur hoc enunciatum, *Fasces sunt imperium.* unde clarum est, hoc enunciatum ab Hofmanno pro metonymico haberi. tum similitudine tanquam metonymiæ illius causa, exposita: applicat illud exemplum ejusque declarationem ad propositum enunciatum, *Toga est pax.* Quis jam non videat, in hoc quoque enunciato metonymiam ab adversario non animadvertente collocari? Secus enim nulla fuerit vis istius applicationis: si non statuatur par utrinque ratio. Quare amplector quod hoc loco tradit Hofmannus: nempe in illo enunciato, *Fasces sunt imperium*, esse metonymiam: qua imperium ponitur pro signo imperii: & metonymiæ istius causam esse similitudinem quandam quam fasces cum imperio habent. Et eandem quoque ratione metonymiam esse in hoc enunciato, *Toga est pax*: quippe quòd illi prorsus est simile. Nam sicut illic imperium ponitur pro signo imperii, ita hîc ponitur pax pro signo pacis. Et quemadmodum aliàs fasces nominantur & imperium intelligitur (ut in illo Virgilii,

*Illum non populi fasces, non purpurat regum  
Flexit.)*

ita in celebri illo Ciceronis versu, *Cedant armæ  
toga*: toga nominatur, & pax intelligitur.

Tandem Hofmannus aliud exemplum tanquam proposito simile affert, inquiens: *Sic si hominem dixerò vulpeculam, jungam disparata* Pag. 52a  
*propter similitudinem. Ut enim vulpes est astutum animal: ita hominem propter astutiam vulpem appello: & hic nemo non fatetur metaphoram. Sanè fa-*  
*teor & ego, in hoc enunciato, Iste (puta Hero-*  
*des) est vulpes, esse metaphoram. at nego, hoc*  
*enunciatum simile esse illi ad quod declarandum tanquam simile adhibetur, videlicet quod dicitur, Toga est pax. nam in illo, homo vulpi comparatur, & similis aliquo modo illi esse significatur: at in isto non comparatur toga paci, nec significatur, quod illi sit similis: sed tantum significatur quod illius sit insigne. etsi interim verum manet, illam significationem in similitudine quadam quam toga cum pace habet, fundari. Nec verò ad enunciatum hoc declarandum adhiberi potest talis similitudo, qualis hic (& rectè quidem) ab Hofmanno adhibetur ad declarandum enunciatum istud, Homo (intellige hic vel ille, ut Herodes) est vulpes. Ut enim vulpes est astutum animal: ita iste quoque homo astutus est. Talem, inquam, declarationem nemo rectè adhibebit ad enunciatum hoc, Toga est pax: ut nimirum dicat, Quemadmodum enim pax est tale vel tale quid, ita etiam toga est tale quid.*



Sed consideremus quoque quæ ad plenior-  
rem quæstionis propositæ explanationem Hof-  
mannus hîc addit: & videamus, an illum po-  
tius quam me juvent, ait igitur: *Hæc verò simili-  
tudo causa fuit pictoribus, ut quadragenario vulpecu-  
lam, tanquam insigne ejus ætatis, ad astutiam aptæ  
& propense, adderent. Si quis igitur signum illud  
quadragenarii ponens, quadragenarium intelligeret,  
hoc modo metonymiam usurpabit. Interpres autem  
dicens, Vulpecula est homo quadragenarius, ut  
metaphoram rediret, &c.* At, inquam, sicut me-  
tonymia est ( ut tu hîc dicis, & rectè quidem )  
quum signum quadragenarii ( nempe vulpes  
picta ) ponitur, & homo quadragenarius in-  
telligitur: ita vicissim negare non potes quin  
sit metonymia, si homo quadragenarius ponat-  
ur & intelligatur illius signum. Id autem fit,  
quum dicitur, *Vulpecula* ( nempe picta ) *est homo  
quadragenarius.* Sensus enim est, *Vulpecula pi-  
cta, est hominis quadragenarii signum, seu  
symbolum, seu imago.* Ergo ex tuis ipsius ver-  
bis concludo, orationem illam qua dicitur,  
*Vulpecula est homo quadragenarius,* metonymicam  
esse. Quo loco operæpretium fuerit notare  
proportionem quandam quæ est inter duo  
hæc enunciata:

*Quadragenarius est vulpes. &  
Vulpes picta est quadragenarius.*

Similis enim proportio significationis sive  
sensus ac troporum est inter hæc duo:

*Corpus Christi est panis. &  
Panis Cæna est corpus Christi.*

Nam

Nam in priori quidē utriusq; syzygiæ enun-  
 ciato est metaphora: quippe & quadragenari-  
 us dicitur esse vulpes, ut significetur vulpi esse  
 similē: & corpus Christi (Ioh. 6.) dicitur esse pa-  
 nis, ut significetur esse pani simile: quatenus ni-  
 mirū ut crucifixum pro nobis, pascit corda no-  
 stra. In posteriore verō utriusq; syzygiæ enun-  
 ciato metonymia est. Nam & vulpes picta di-  
 citur esse quadragenarius, ut significetur esse  
 illius imaginem seu signum: & panis cœnæ eā-  
 dem ratione dicitur esse corpus Christi.

Quod autē vim argumenti mei effugere co-  
 natur negatione cōsequentię, ubi ait: *Ex eo quod* Pag. 54  
*haud cōmodē dicā, Toga est similis paci, nō sequitur*  
*metaphora negatio:* (nēpe in illo enūciato, Toga  
 est pax) hoc effugiū eū non iuvat. nā occurro ei  
 ex metaphore definitione, & hac eū ne effugi-  
 at, cōstringo ac teneo. Etenim Metaphora est,  
 quā ex simili significatur simile: quare si in ista  
 oratione, *Toga est pax*, metaphora est, ut vult  
 Hofmānus: oportet in ea ex pace significari ali-  
 quid simile paci: ac proinde oportet ut cōmo-  
 dē dici possit, *Toga est similis paci*. sic enim de-  
 mū illa metaphorica in suā propriā fuerit reso-  
 luta. Et omnino omnis metaphorica p̄dicatio  
 in talē propriā resolvi potest ac debet, qua p̄di-  
 catū exponatur per aliqd simile p̄dicato, ut,

Herodes est vulpes, id est, similis vulpi.

Johannes est Elias, id est, similis Eliæ.

Christus est	{	panis	}	id est, similis	{	pani
		vitis				viti
		ostium				ostio
		pastor				pastori
		sponsus				sponso.

At Hofmannus concedit, istud enunciatum, *Toga est pax*, non posse sic resolvi, ut com-  
modé dicatur, *Toga est similis paci*: Concedat  
igitur etiam ( nisi τὴν δέσιν διαφουλάττειν & con-  
tra manifestam veritatem disputare porro ve-  
lit ) orationem hanc, *Toga est pax*, metaphori-  
cam non esse.

PAG. 55. Sophistico autem effugio rursus utitur pag.  
55. ubi ait, *se usum jure Piscatoris: qui ubi signi sensum  
reperit, metonymiam statuit: ideo licuisse & sibi meta-  
phoram tueri, ubi similitudinis sensus habetur.* At,  
Hofmanne, si maximé tibi cōcedatur, aliquem  
similitudinis sensum hic haberi: id tamen non  
erit satis ad evincendam metaphoram: nisi sen-  
sus ille similitudinis primó sese menti ingerat:  
ut quamprimum dicitur, *Toga est pax*, statim  
animadvertatur hoc dici, *Togam paci esse similem*:  
id quod in enunciatis quæ citra controversiam  
metaphorica sunt, planum est fieri: ut quis  
ex consideratione exemplorum pauló anté á  
me adductorum poterit animadvertere. Qua-  
propter non pari jure híc cum Piscatore usus  
es, ut dicis. Piscator enim sic demum metony-  
miam ex signi sensu statuit, si sensus ille sese  
menti intelligentis primó ingerat.

Paulo-póst, negat, de natura Metonymiæ  
esse, quum dicitur, *Togam poni pro pace*, quia est  
signum pacis. At ipsemet suprà tradidit ( pag.  
50. & 51. ) quód signi mentio metonymiam  
faciat, cum id quód signi rationem obtinet,  
pro re signata ponitur, vel contra.



Sed mirabilis est exceptio seu limitatio quã addit, inquiens: *Quatenus hæc ut tropus consideratur.* Quid audio? num igitur metonymia aliter potest considerari quã ut tropus?

Pauló post: *Cùm Herodes (inquit) dicitur vulpes: ut mutatio significationis tropica seruetur, planissimè dico vulpem poni pro astutia.* Imò non planissimè, inquam, quia mox hoc ipse melius explanas, dicens: proprium ejus orationis sensum esse, Herodes est astutus. hoc jam planum est: nempe vulpem poni non pro ipsa astutia, ut dicebas: sed pro homine astuto.

Pag. 56. de nescio quo rigore meo obliquè conqueritur, & candorem requirit, sic inquiens: *Et quia communes Rhetorum traditiones censuram exquisitam artificis fugiunt, vel non serunt in col- latione dictorum cum præceptis illis: candor adhibendus est, non rigor.* Ego verò in refellenda sententia illa Hofmanni, qua affirmat, orationem illam, *Toga est pax*, esse metaphoricã: nullo prorsus rigore sum usus: sed simpliciter dixi pagina libelli mei 14. *Fallitur autem si quis putat, in istis verbis, Toga est pax, orationem esse metaphoricam: neq; enim sensus illorum verborum est, togam paci esse similem, sed togam esse pacis insigne: quam esse metonymiam, nemo Rhetorices peritus non videt.* Pag. 56.

Ubi quæso hic rigor? aut ubi non adhibitus candor? Candoris enim est, non ad errorem alterius connivere, atq; ita illum fovere: sed simpliciter & ingenuè, absque calumnia & convictio de illo admonere: id quod à me factum esse, omnes æquos æstimatores videre confido.

Pag. 56.

Sed notatu dignum est, quod pauló post  
 monet: *adolescentes debere equiores reddi eis, qui  
 sine dolo iniquitatem & nimiam subtilitatem negligunt,  
 & mediocri veritatis declaratione contenti sunt.* A-  
 gedum, Hofmanne, fiat hoc: & fiat non so-  
 lum ab adolescentibus quibus tu hoc præci-  
 pis: sed fiat etiam á te ipso. nam nosti illud, *Tur-  
 pe est doctori.* Hoc autem si feceris: non vexabis  
 amplius expositionem verborum Christi quam  
 attulit Zvinglius, exponens *E S T* per *significat*,  
 atque ita metonymiã ponens in copula: quam  
 O Ecolãpadius veteres secutus, posuit in præ-  
 dicato, exponens *Corpus* per *signum corporis*.  
 Quum autem utraq; hæc expositio vera sit,  
 & altera alteri in effectu (ut loquuntur) con-  
 sentiat: neutra ab æquo aestimatore meretur  
 vexari, quia sine dolo & simplici veritatis stu-  
 dio utraq; adhibita: licet illa quæ tropum po-  
 nit in copula, minus *iniquitas* & subtilis sit: quip-  
 pe á natura metonymiæ aliena, sicut sub qua-  
 stione tertia amplius dicitur.

Quod autem pauló post subjungis, doctri-  
 nam de tropis minus á Rhetoribus exultam  
 esse: id ut verum sit de aliorum præceptis, de  
 præceptis certè Rami quæ Talæus in sua Rhe-  
 torica proposuit, verè dici non potest: quum  
 illa sint longè accuratissima, & ex affectioni-  
 bus rerum Logicis (nempe ex doctrina Logi-  
 cæ inventionis) subtilissimè ac perfectissimè  
 deducta. nam quod addis, illam præceptionis  
 imperfectionem prodi examine quæstionis hu-  
 jus de toga: id nihil est & quæ tu hac de re dein-  
 cept

ceps per quatuor totas paginas usque ad loci Pag. 57. 58.  
 hujus finem disputas: confusionem trium di- 59. & 60.  
 stinctarum artium tradūt, videlicet Gramma-  
 ticæ, Dialecticæ & Rhetoricæ: dum Gramma-  
 ticæ<sup>a</sup> tribuis expositionem verborum tropi- a Pag. 57.  
 corum per propria: quod tamen est Rhetori- b Pag. 58.  
 cæ: item dum Dialecticæ<sup>b</sup> attribuis censuram  
 prædicationum qua attenditur ad sensum lo-  
 quentis: quod iterum est Rhetoricæ: item  
 quod<sup>c</sup> ais: *Si Dialecticus tropicam appellat locutio-* c Pag. 59.  
*nem hanc, Toga est pax, modum tropicum in attri-*  
*butione contineri statuit.* At, inquam, hoc non est  
 Dialectici, sed Rhetoris. Rhetoris, inquam, est,  
 cōsiderare, an locutio sit propria, an tropica:  
 Dialecticus in enūciato nihil aliud spectat, quā  
 partiū inter se affectionē Logicam ex doctrina  
 inventionis: & partiū illarū dispositionem Lo-  
 gicam, ex doctrina iudicii. Modū verō ipsum  
 loquēdi in enūciato spectare, nō Dialectici,  
 neq; Grammatici, sed solius Rhetoris est.

Sed illud quoque animadvertatur: Hof-  
 mannium dum studet tueri opinionem suam  
 de metaphora in illo enūciato, *Toga est pax:*  
 delabi per istam suam trium artium confusio-  
 nem ad ponendum in illo sermonem propri-  
 um: quo nimirum metaphorā illam suam ipse  
 evertit. sic enim ait: *Grammaticus si dixerit, To-*  
*ga est pax: sicut alius inquit, Ensis est gladius: præ-*  
*bebit Dialectico prædicationem; qui juxta intentionē i-*  
*det ita is significati utrobique, identicā prædicationē cē-*  
*sebit.* At, inquā, in isto enūciato, *Toga est pax,* nec  
 identica prædicatio est: ut in illo, *Ensis est gladius:*



quoniam hęc idem de se ipso prædicatur, illic autem diversum de diverso: deinde, si identica prædicatio esset, esset utiq; propria. quomodo igitur Hofmannus defēdit esse metaphoricā?

Sed videamus ampliūs quomodo Hofmannus se involvat: & dūm metonymiam in illo enunciato agnoscere non vult, aliis agnoscendam tradat. Sic igitur in instituta disputatione pergit: *Jam si modum tropicum feceris, modum attributionis, non repugnabo: quia attributionis modum convenire habitudini prædicati ad subjectum secundū rem intellectam, æquissimum est: & hoc quidem jure etiam videtur æquum, ut modus metonymicus admittatur. Sed attende, quid obstat. Id quod tropum sustinebat in metonymia (toga nimirum) in hac oratione, Toga est pax, proprie accipitur & significat veterem Romanam (quomodo metonymia que in ista dictione erat, cessit) & vocabulum restitutum primariæ significationi, recepit prædicatum ea habitudine quæ ad metonymiam deventum fuerat: ut toga sit pax modo imaginis & similitudinis: unde metonymie usus Rhetori excidit. Hęc ille satis intricatē: quæ nos operā dabimus ut explicemus. Affirmat æquissimum esse, ut modus prædicationis conveniat habitudini prædicati ad subjectum: & tamen mox negat, æquum esse ut admittatur modus metonymicus. Hęc implicant contradictionem. quid enim? annon possunt dari enuncianta, in quib. prædicatū ad subjectū se habet ut res significata ad signū? cujusmodi nimirū sunt Sacramentalia illa enuncianta: *Circūcisio est fœdus, Agnus est transitus, Panis Eucharisticus est corpus Christi, vinum**

*Vinum Eucharisticum est sanguis Christi*, atq; etiam istud, de quo jã disputamus, *Toga est pax*. Quum igitur autore Hofmanno æquum sit, ut habitudini prædicati ad subjectum conveniat modus prædicationis: in istis autem enunciatis sit habitudo metonymica, ut patet: quo jure igitur & qua constantia negabit Hofmannus, in eisdem enunciatis esse modum metonymicum? Quare ex fundamento quod hic ponit Hofmannus, firmiter concluditur, in isto enunciato, *Toga est pax*, esse modum metonymicum: quod tamen Hofmannus negat. Atq; ita unam eandemq; sententiam explicitè quidem negat, implicitè verò affirmat: id est (quod dixi) contradictionem implicat.

Fallitur autem quum putat, modo isti metonymico obstare, quòd in hac oratione, *Toga est pax*, nomen *toga* propriè accipitur: quod tamen in verbis Ciceronis, *Cedant arma toga*, accipitur metonymicè. nam etsi in isto enunciato metonymia non est in vocabulo *toga*: nihilominus tamen in eo est metonymia, videlicet in vocabulo *pacis*: quod hic ponitur pro signo pacis. Sensus enim enunciati est, *Togam esse pacis insigne*. Quum autem res signata ponitur pro signo, etiam secundum Hofmannum metonymia est.

Excipiet: quum dicitur, *Toga est pax*, non poni pacem pro signo pacis, sed prædicari de signo pacis, videlicet de toga. Imò, inquam, utrumq; fit: & horum unum alteri non repugnat, sed potiùs alterum ex altero sequitur.

nam si pax de toga intelligitur prædicari tanquam de signo pacis; consequens est, ut ipsum pacis nomen pro signo pacis ponatur, & per signum pacis rectè exponatur.

Sed Hofmannus iterum contradictionem implicat: quum ait, togam esse pacem modo imaginis & similitudinis: & tamen inde infert, metonymiæ usum hic Rhetori excidere. Imò contrarium inde sequitur. nam si toga est pax tanquam imago pacis: ergo pax ad togam se habet ut res signata ad signum (nam omnis imago, rei per imaginem representatæ signum est) ac proinde ut subjectum ad adjunctum: quem modum metonymiam esse, omnes Dialecticæ & Rhetoricæ periti intelligunt.

Verùm enimverò quum sentiat Hofmannus ista non posse consistere: novum argumentum quarit, quod proponit his verbis: *Et modum iste (inquit) idè commodius dicitur metaphoricus quam metonymicus: quum metaphora tam verborum quam nominum sit: Metonymia autem tantum nominum.* Primùm observetur adverbium illud *Commodius*: ex quo percipitur, Hofmanni iudicium hic vacillare, ita ut non audeat metonymicum modum ab isto enunciato prorsus removere. Interim tamen quia modum metaphoricum semel ei attribuit, hic illi placet ut commodior: quia nimirum minus commodum ei videtur, errorem confiteri. Quod autem ad argumentum ipsum attinet, nempe metonymiam tantum esse nominum, non etiam verborum: id & falsum est, & si maximè esset verum, tamen



tamen propositum ex eo non posset concludi. Falsum est, inquam, quod Hofmannus & hinc affirmat & sequentibus duabus paginis repetit: nempe metonymiam tantum esse nominum; non residere in verbis, sed tantum in nominibus; item metonymiam non esse nisi in una dictione, & quidem a verbis plane alienam. Hunc errorem Hofmannus si veritatis cognoscendæ cupidus est, patietur æquo animo sibi eximi: imò verò pro hoc officio gratiã mihi habebit. Eximere autem illum errorem conabor ostensione exemplorum. Igitur Gen. 25. v. 27. dicitur Jacob *habuisse in tentoriis*, id est, exercuisse rem pecuariam & domesticam. hinc metonymia est effecti destinati: etenim habitatio illa in tentoriis destinata erat rei pecuarię atq; domesticę exercendę. Est autem hæc metonymia in tota phrasi, ac proinde etiam in verbo illo *habitare*. Simile huic est illud Gen. 41. v. 44. Ubi Pharaon ad Josephum ait: *Sine te non attollet quisquam manum suam aut pedem suum*: id est, nihil aggredietur sive tentabit quisquam. Tale quoque est illud Pauli, 1. Tim. 5. v. 22. *Manus cito ne cui imponito*, id est, Ne quem cito ac temerè ordinato ad ministerium Evangelii. Concurrat autem in istis exemplis synecdoche membrum: nam non solum ex effecto destinato ipse finis, sed etiam unã cum illo intelligitur. Ad metonymiam verò adjuncti pertinet illud, Genes. 14. v. 22. ubi Abraham ad regem Sodomę ait, *Extuli manum meam ad Jehovah, si accepero a filo usque ad corrigiam calceamenti, &c.*

Pag. 59.

Pag. 60.

id est, Juravi me nihil accepturū. nā hic gestus erat signum adjunctum juranti. Ex signo igitur hic intelligitur res signata: & tamen metonymia in tota phrasi est, ac proinde etiam in verbo *extuli*. Atque hæc exempla Piscator (quem tu paulo post semel atque iterum pseudorhetorem appellas) jam pridem observavit, ac illorum pleraq; in Rudimentis Rhetoricis cum studiosa juventute communicavit.

Porro istis nunc addere liber ad pleniorē inductionem, unum atq; alterum quæ nuper observavi in Propheta Esaia. Is igitur cap. 24. denunciāns Judæis eventuras calamitates, inter alia sic ait v. 7. *Lugebit mustum, languebit vitis*, id est, mustum non bibetur ut antea, cum cantico (ex collatione versus noni) ac proinde rariquam contemptum lugebit. Vitis autem ab hostibus evellatur & auferetur: & idcirco languebit. Concurrent autem hic duo tropi, metaphora & metonymia effecti, & uterq; est in verbis illis, *Lugebit, languebit*. Sic cap. 25. v. 8. ubi prophetat de felicitate populo Dei eventura in regno Christi, inter alia ait v. 8. *Et abstergere Dominus Jehova lacrymas ab omnibus faciebus*, id est, auferet omnes miseras, unde miseris lacryme solent oboriri. Est igitur metonymia effecti in tota illa phrasi, *Abstergere lacrymas*: ac proinde etiam in verbo *Abstergere*. Item Esa. 28. v. 16. *Qui credit in eum, non festinabit, id est, non pudefiet*, interprete Paulo Rom. 9. v. ult. & Petro 1. Pet. 2. v. 6. Metonymia efficientis: nam festinatio pudefactionem efficit. Atque ejusmodi exempla

pla reperiuntur etiam in autoribus profanis, quale est illud Juvenalis satyr. 10.

*Cantabit vacuus coram latrone viator.*

Cantabit: id est, securus & hilaris erit, ac proinde cantabit. Metonymia effecti synecdochica. Item illud Horatii, lib. 1. sat. 6.

*Naso suspendis adunco:*

id est, gestu illo suspensionis nasi irrides aut fastidis. Metonymia adjuncti, & quidem signi, nam gestus ille est signum irrisionis & fastidii.

Atque sic ostendi argumenti propositi falsitatem: restat ut ostendam quoque inconsequentiam seu inefficaciam conclusionis. Sic autem concludit Hofmannus: *Modus igitur metaphoricus copulae & predicato communis esse potest, modus metonymicus haud item. Non enim potest dari metonymia in copula: quemadmodum metaphora ei competit, conjunctim tamen cum predicato.* Hanc conclusionem deducit ex illo argumento, quod Metaphora tam sit verborum quam nominum: Metonymia autem tantum nominum. Concludamus syllogismo:

Pag. 584

*Verba quaedam recipiunt metaphoram.*

*Atqui copula enunciati simplicis seu propositionis categorica, est verbum quoddam.*

*Ergo copula illa recipit metaphoram.*

At haec *ἀσυννοησία* est: nam in prima figura syllogismorum Aristotelica ex Majore particulari nihil sequitur. Quod si Hofmannus ad syllogismum emendandum, Majorem velit facere universalem: tum illa reddetur falsa. Falsum enim est, omnia verba recipere meta-



phoram: quum verbum substantivum illam nunquam recipiat, sicut nec alium quemvis tropum, sola ironia excepta. Sed notetur hic quoque inconstantia Hofmanni: Supra enim pag. 9. approbavit, & mihi tanquam doctrinae mee contrarium objecit axioma, quod extat in Rhetorica Talei: nempe tropum esse singularum vocum, figuram conjunctarum, at nunc affirmat: metaphoram competere copulae cum praedicatione *conjunctiva*.

Quae deinceps sequuntur pag. 59. & 60. nihil habent praeter tædiosam in eadem re commemorationem, & Rhetoricae atque Dialecticae confusionem: de qua jam ante admonui. Quare non est operae pretium, in istis immorari.

Sed pag. 61. posteaquam operose multa contra metonymicas locutiones disputasset: inmittit, omnem illum laborem non fuisse necessarium: quippe cum in hoc (ut ipse quidem ait) non vertatur cardo controversiae. Potuisset igitur isto labore superfedere Hofmannus: nec vel mihi similem laborem in respondendo, vel lectoribus in utriusque disputatione cognoscenda facessere.

Sed audiamus, quam in re controversiae cardinem ponat Hofmannus. *In hoc, inquit, vertitur cardo controversiae, quod tropum quemcumque, notum respuat modus attributionis ignotus: nec sedem tropo relinquat explicatio Christi, &c.* At, inquam, Hofmanni controversia nostra, quam tu scilicet mihi indovisti, vertitur in tribus illis meis quaestionibus: quae ad unam hanc revocari possunt, An in verbis illis Domini, *Hoc est corpus meum, &c.* praedicatum subjecto attribuitur per meto-

metonymiã, nec ne. Ego affirmo, tu negas: hæc igitur inter nos cõtroverfia est. At *cardo*, inq̃s, controversiã (nempe quod Dialectici vocant τὸ κενὸν μέρος) vertitur in his duabus quæstionib⁹: An modus attributionis in sacramentalibus istis enunciatis sit ignotus? & an explicatio Christi relinquat tropo sedẽ in prædicato? Sit sanẽ utrumq; hoc τὸ κενὸν μέρος. Ad priorẽ igitur quæstionem respondeo negãdo. nego, in quã, modũ attributionis in istis Domini verbis esse ignotũ: notum est enim, in illis attribui rem signatam signo. Ad posteriorẽ verõ quæstionem respondeo affirmando. nã Christus illis verbis, *Quod pro vobis traditur*, hoc voluit explicare: quã ratione seu quo respectu panis ille signum sit sui corporis, nempe quatenus illud pro nobis est traditum.

CAP. XV. *Expositio verborum Pauli de communi-  
one corporis & sanguinis Christi à Piscatore al-  
lata defenditur: & simul differitur, an Christus  
mortuus sit pro singulis hominibus.*

**D**einceps redit Hofmannus ad examinã-  
dam libelli mei paginam octavam: & ait:  
Id quod dixerat *Piscator de propositione hac, Panis est corpus Christi; jam singulariter demonstrare laborat in altera, Vinum est sanguis Christi: sed que fortiora afferat argumenta, non video.* At falsõ, inquam, hoc de me affirmas Hofmannè. neq; enim ego in ista pagina ac deinceps laboro singulariter demonstrare de altero enunciato Christi, quod jam demonstraveram de priorẽ: sed tantũ demonstratorem illamhuc quoq; pertinere ad-

moneo uno verbo. Sed aliud hic demonstro,  
 nempe pronomen *τὸ* in illo enunciato refe-  
 rendum esse ad poculum, quod etsi tu quidem  
 facile accipis: tamen illi contra quos hic dis-  
 puto, non accipiunt. Sed tu semel tibi persua-  
 disti, me libello isto meo nihil aliud egisse quam  
 ut theses tuas refutarem: quam falsam esse su-  
 spicionem, supra ostendi. Verum enim vero  
 quoniam in refutando sophismate eorum qui  
 pronomen *τὸ* in priore quidem enunciato ad  
 solum panem, in posteriore vero ad solum po-  
 culum referri debere negant, exposui genui-  
 num sensum verborum Pauli 1. Cor. 10. quibus  
 panis & poculum, dicuntur esse *κοινωνία*, id est  
 communio, corporis & sanguinis CHRISTI:  
 Hofmannus hanc expositionem reprehenden-  
 dens ait, me illam prætorio modo postulare  
 potius, quam actoris more probare. At ego  
 expositionem illam probavi ex eo, quod certum  
 sit, Apostolum non alium sensum verbis Domini assin-  
 xisse, sed illum ipsum retinuisse, quem Dominus fuerat  
 secutus: idq; tanquam fidelissimum verborum Christi  
 interpretem. Quid? num hæc probatio est nulla?  
 Refutet hanc Hofmannus, si potest: ac tum de-  
 mum postulatum prætorium absq; probatio-  
 ne mihi exprobet.

Pag. 9. libel-  
 li mei.

Pag. 10. li-  
 belli mei.

Vis argumenti mei consistit in collatione  
 parium sive similium: quod qua ratione panis  
 à Christo dicitur esse corpus Christi, eadem à  
 Paulo dicatur esse communio corporis Chri-  
 sti: item qua ratione poculum à Christo dici-  
 tur esse sanguis Christi, eadem à Paulo dicatur  
 esse



esse sanguinis Christi communio. Hoc argumentum confirmo á scopo Pauli: qui fuit, verba Christi de pane & poculo dicta, fideliter interpretari: ut ea posset ad propositum suum de fugienda communione idololatricorum viviorum accommodare. At excipit Hofmannus: *Equidem ut in oratione Christi, plus & majus* Pag. 62  
*quid inesse eviri: ita comparisonem in hac tenuiore parte institutam, ad explicationem mentis Apostolica sufficere, jure nego.* At ubi tu hoc evicisti? & quæso, an non satis tibi est, habere ut in aliis sacramentis, ita etiam in sacra Cœna, testimonia divina gratiæ Dei? num hoc tibi videtur tenue quiddam, ut aliquid majus jure sit requirendum? Et quid quæso majus requiris? nempe realem atq; substantialem præsentiam corporis Christicum pane, & sanguinis cum vino, eorundemque oralem manducationem quæ fiat simul á fidelibus & infidelibus: quod quidem utrumq; si maximè tibi cõcederetur, tunc auderis majus atq; excellentius statuere id quod impiis cum piis commune est, quàm id quod piorum est proprium?

Veruntamen tu hoc quoque rejicis, quod ego testimonia illa gratiæ, ac proinde ipsam quoq; Dei gratiam, fidelibus propriam statuo. Pag. 63  
 Ais enim: *Rejicio etiã, quod pro fidelibus saltem Christum crucifixum esse opinatur.* Hic primò noletur adverbium *saltem*, per abusionem ulurparum pro adverbio *Tantum*. Deinde observetur, mentionem istorum in illa de gratiæ diviniæ testimoniis sententia expressisse: sed simpliciter

dixisse: Dominum verbis istis sacramentalibus docere  
 voluisse, sacrum illum panem & sacrum istud vinum  
 divina testimonia esse, quibus ipse discipulis, ac omnino  
 fidelibus omnibus testetur, corpus suum pro ipsis uni-  
 versis seu pro tota ipsorum multitudine crucifixum iri,  
 itemque sanguinem suum pro ipsis universis in cruce ef-  
 fusum iri ad eis impetrandum remissionem peccatorum.  
 Hæc mea verba sunt: in quibus (ut patet) nullâ  
 restrictionis adverbium est expressum. Sed an-  
 tagonistę ideo exprimere libuit, ut novę dispu-  
 tationis atque controversiæ materiam suppeditaret.  
 Itaque hic digressionem instituit: & contēdit,  
 Christum, non pro solis fidelibus atque electis,  
 sed in universum pro singulis hominibus crucifixum  
 esse. Cujus opinionis falsitas vel ex ipsis  
 institutionis verbis ad quæ ego in explicatio-  
 ne mea respexi, refellitur. Etenim Christus  
 de pane Eucharistico dixit, Hoc est corpus me-  
 um quod pro vobis datur, τὸ ἄσπ' ὑμῶν δίδόμενον.  
 nempe qui estis mei discipuli, & in me credi-  
 tis. Sic de poculo: Hoc poculum est novum il-  
 lud testamentum in meo sanguine qui pro vobis,  
 vel (ut alibi habetur) pro multis effunditur. τὸ ἄσπ'  
 ὑμῶν, vel ἄσπ' πολλῶν ἐκχυνόμενον. Cur dicit, pro  
 multis: si intellexit, effusum iri pro omnibus seu  
 singulis hominibus? Et quæso quid notat in ista  
 phrasi præpositio, ἄσπ' & pro? nonne finem seu  
 scopum agentis sive patientis? Nonne, in-  
 quam, cum Christus dicit, se corpus suum da-  
 turum ut crucifigatur pro nobis: itemque san-  
 guinem ut effundatur pro nobis: hoc dicere  
 vult, se ideo crucifixum iri, ut sua morte, con-  
 juncta

juncta nimirum cum sensu iræ Dei adversus  
 nostra peccata, ipsi ut sponsori imposita, pro-  
 mereatur & acquirat nobis remissionem pec-  
 catorum & vitam æternam? Quod si jam dica-  
 tur, fuisse Christi patientis scopum, ut remissi-  
 onem peccatorum & vitam æternam acquire-  
 ret singulis hominibus: consequens erit ut aut  
 singuli homines remissionem peccatorum &  
 vitam æternam consequantur, aut fateamur  
 Christum non potuisse efficere quod voluit,  
 nec assequi passionis suæ finem seu scopum?  
 At utrumq; hoc falsum atque absurdum est: ut  
 patet. Necessè igitur est ut falsum quoq; sit il-  
 lud antecedens, quo statuitur scopum Christi  
 patientis fuisse, ut remissionem peccatorum  
 & vitam æternam acquireret singulis homini-  
 bus: seu (quod idem est) Christum pro singu-  
 lis hominibus crucifixum esse. Quod quidem  
 ipsemet disertè negat: cum sese in cruce obla-  
 turus, expressè in solèni illa sua tanquam pon-  
 tificis ad Deum patrem prece Joh. 17.  
 mundum (id est reprobos) excipit, inquit:  
*Non rogo pro mundo: sed pro iis quos dedisti mihi. nem-  
 pe pro Apostolis electis. Judam enim Iscario-  
 tem, tanquam filium perditionis, paulo pòst  
 disertè excipit. Ac rursus: Non pro eis autem rogo  
 tantum, sed & pro iis qui per sermonem eorum credi-  
 turi sunt in me.* Hinc jam firmissimum atq; irre-  
 futabile argumentum duco:

*Pro quibus Christus crucifixus est, pro iis etiam ro-  
 gavit paulo antequam crucifigeretur, in solenni  
 illa prece.*



*At pro reprobis non rogavit, ut ex citatis testimoniis liquet.*

*Ergo nec pro reprobis crucifixus est: & per consequens non est crucifixus pro omnibus hominibus.*

*Et tamen Hofmannus non veretur hanc verbi Dei doctrinam abominandum errorem appellare: & calumniari, quod hæc doctrina fidem omnium ac singulorum faciat incertam. At qui sic?*

Rag. 62.

*Quia (inquit) hæc (nempe fides) ex puris particularibus concludens, non potest esse  $\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\omicron\upsilon\pi\acute{\epsilon}\nu$ , hoc est, quæ certò sequentem conclusionem extruat. Ego verò nego: Fidem cum ex proposita à me doctrina concludit, concludere ex puris particularibus. neque enim fidelis sic concludit:*

*Pro quibusdam hominibus Christus est mortuus.*

*At ego sum homo.*

*Ergo pro me quoque Christus est mortuus.*

*Non sic, inquam, argumentatur fidelis, quanquam ne hæc quidem argumentatio ex puris particularibus constat: cum assumptio sit singularis seu propria; quæ in syllogismo non eandem per omnia cum particulari vim habet: quippe cum ex puris singularibus seu propriis enunciatis firmus syllogismus constitui possit: ut exempla in Dialectica Rami proposita manifestè ostendunt. Veruntamen fidelis non ad illum modum argumentatur: qui quidem ideo vitiosus est: quia in prima figura majorem habet particularem: sed fidelis argumentatur syllogismo firmissimo atque demonstrativo ad hunc modum:*

*Pro omnibus fidelibus Christus est mortuus.*

*At ego sum fidelis.*

*Ergo pro me quoq; Christus est mortuus.*

Ex his apparet, primum argumentum quod Hofmannus pro sua opinione hinc adducit, falsum esse. Nunc reliqua videamus. Secundo igitur loco mihi opponit auctoritatem Pauli: ut qui Rom. 14. & 1. Cor. 8. affirmet, Christum pro pereuntibus mortuum. At veró Paulus id non dicit, Christum mortuum esse pro pereuntibus, id est pro iis qui perituri sunt: sed dicit Rom. 14. v. 15. Ne esca tua illū perdito pro quo Christus mortuus est, quibus verbis hoc tantum vult: Eos qui profitetur fidem Christianam, ex charitate habendos pro credentibus, pro quibus Christus est mortuus: ac proinde cavendū, ne nostra culpa á fide avertantur & ita pereant. Ergo, inquit Hofmannus, qui in Christū credunt, á fide possunt averti & perire? Respondeo: Qui veré credunt: etsi per ipsos non stat quo minus fidem possint amittere ac perire: tamen quo minus id fieri possit, obstat Dei decretum immutabile & fidei donū ἀμεταμέλητον. Qui autem non veré credunt: illi á fide dicuntur deficere, cum fidem quam antea (licet falsó) profitebantur, jam negant. Porro eadem est sententia verborum quæ extant 1. Cor. 8. v. 12. ubi Apostolus reprehendens eos qui jactantes scientiam, quód nimirum scirent, idolum nihil esse, securé intererant cōviviis sacris idololatrarū, idq; cum scandalo infirmorum: hos igitur reprehendens Apostolus, inter alia sic ait: *Et tua ista scientia frater qui infirmus est, propter quæ Christus*

est mortuus, peribit? Id est, Visne committere ut frater infirmus exemplo tuo adductus ipse quoque idolothytis vescatur, idque cum conscientia idoli, ac proinde mala conscientia: atque ita contra conscientiam peccans, Deumque offendens, iram illius sibi accersat, seseque in exitium precipitet? Hanc esse verborum illorum sententiam, ex collatione eorum que illic antecedunt, planum est. Ubi illud in primis norandum, Apostolum loqui de fratre, i. e. de credente, saltem qui pro vere credente habetur, atque etiam ex charitate habendus est: Vere autem credens perire non potest: quia vera fides non potest amitti, impediente scilicet immutabili decreto Dei. Interim tamen officii nostri est ut respicientes ad nostram imbecillitatem, studeamus fidem tum in nobis ipsis tum in proximo legitimis mediis alere ac fovere, & ejusdem causas corruptas (i. e. quecumque illam vel labefactate vel penitus tollere sua quidem natura possunt) fugere ac cavere: secundum illud, *Dominum Deum tuum non tentabis*: item secundum exhortationem Petri, qua monet ut *studeamus vocationem & electionem nostram firmam efficere*: non utique in mere Dei: decreta enim Dei sua natura immutabilia sunt: sed in mente nostra, quæ de causis ratiocinatur ex effectis: ac proinde quum quis sibi conscius est ferri studii veræ pietatis, inde firmiter colligit, se vera quoque fide præditum esse, ac proinde à Deo efficaciter vocatum & immutabili decreto ad vitam æternam electum esse. Sed pergamus considerare reliqua Hofmanni argumenta.

2. Pet. I. v. 10.

Ter.



Tertium igitur argumentum proponit his verbis: *In iudicio etiam divino, damnante homines propter incredulitatem, graviter arguitur, à damnatis etiam flagitanti fidem in Christum. quæ autem (autem pro tamen) temerè exigetur nisi iisdem Christus propositus fuisset Salvator. at non extra passionem & mortem, sed in hac & per hanc Salvator promissus est datus.*

Istius argumenti sententia videtur hæc esse.

Syllogismus principalis hic est:

*Si Christus damnatis salvator fuit propositus, idq; per mortem: sequitur pro illis quoq; esse mortuum.*

*Atqui Christus damnatis salvator fuit propositus, idq; per mortem.*

*Ergo pro illis quoq; est mortuus.*

Prosyllogismus assumptionis.

*Nisi Christus damnatis salvator fuisset propositus, idq; per mortem: temerè exigetur ab illis fides in iudicio divino: quatenus nimirum propter incredulitatem damnantur.*

*At fides non temerè ab illis exigitur.*

*Ergo Christus damnatis salvator fuit propositus.*

Respondeo. Approbatione assumptionis non fuisset opus: sed propositionis. Illam ego nego. nam etsi Christus per Evangelii prædicationem salvator proponitur promiscuè electis ac reprobis, ac proinde tam dammandis quam salvandis: juxta illud Pauli 2. Corinth. 2. *CHRISTI bona fragrantia sumus Deo in iis qui servantur & in iis qui pereunt: tamen hinc non sequitur, Christum tam pro dammandis, quam pro salvandis esse mortuum.*

Etenim utrisq; proponitur Christus sub conditione resipiscentiæ ac fidei: hoc est, testatum illis redditur, Christum pro ipsis esse mortuum, seu (quod idem est) Christi morte partam iis esse remissionem peccatorum & vitam æternam: si modò resipuerint & in illum crediderint. hoc enim sibi vult ista crebro repetita exhortatio: *Resipiscite & credite Evangelio* item illa pronuntiata: *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Si confessus fueris ore tuo Dominum Jesum, & credideris in corde tuo quòd Deus eum excitavit à mortuis, servaberis.* Porro istam conditionem quum non præstent reprobi, sed in impietate sua perseverent: planum est promissionem remissionis peccatorum per mortem Christi, ad eos non pertinere; ac proinde nec Christum pro illis mortuum esse.

Sed quoniam Hofmannus assumptionem syllogismi sui principalis approbat alio quoq; prosyllogismo, in quo aliquid falsilatet: falsitas illa est ostendenda. Sic autem ait: *Neg. fides salvans, nisi in promissionem illam recumbens, unquam rectè definietur.* Argumentum (ut apparet) ductum est à consequente absurdo: sed consequentia nihil valet, quum connexum istud sit falsum. Falsum est, inquam, fidem salvantem non posse rectè definiri, nisi recumbat in promissionem illam quam tu hîc intelligis: videlicet quâ Christus tam damnandis quàm salvandis salvator promissus sit. Talis enim promissio nusquam in verbo Dei extat. Sed promissus est **CHRISTUS** salvator iis tantum qui

Matth. 3. 2.

&amp; 4. 17.

Marc. 1. 15.

Act. 2. 38.

Marc. 16. 16.

Rom. 10. 9.

qui resipuerint & in Christum crediderint: & quidem illis omnibus. Hi autem certé nō sunt damnādi, sed salvandi. Et in hanc demum promissionem recumbit, idque firmiter, fides salvans; & ex hac recté definitur. Fides enim salvans ea est, qua quis credit, promissionem Dei qua ille omnibus resipiscentibus & in Christum credentibus promittit remissionem peccatorum & vitam æternam propter Christum, ad se quoque pertinere: ut qui in sese sentiat, se quoq; per Dei gratiam resipiscere & in Christum credere.

Sequitur quartum argumentum: quod proponitur his verbis: *Quomodo constare poterit ultimum Calvinii effugium de indignis: quum his ait offerri quidem corpus & sanguinem Christi in sacra cœna, sed ab ipsis respui. Quomodo verò his offerretur, quod ad illos nullo modo dicitur pertinere?* Sic argumentatur Hofmannus:

Pag. 62. & 63.

*Si corpus & sanguis Christi infidelibus (hos enim nomine indignorum intelligit) offeruntur in sacra cœna: ergo ad illos pertinent.*

*At offeruntur: teste Calvino.*

*Ergo ad illos pertinent.*

Ego verò nego istud connexum. Etenim corpus & sanguis Christi offeruntur illa quidem in sacra cœna promiscuè fidelibus & infidelibus, nempe hypocritis: sed non offeruntur aliter quàm per promissionem Evangelii & sacram cœnam tanquam illi annexum sigillum: promissio autem Evangelii pertinet ad solos credentes. Minister autem qui verbum & sa-



cramenta administrat, pro credentibus ex charitate habet etiam hypocritas, quandiu hypocritis ipsorum non fuerit detecta: ac proinde illis quoque corpus & sanguinem Christi offert, sed tanquam credentibus & cum conditione fidei: testans nimirum, corpus Christi pro illis crucifixum, & sanguinem fustum esse: si modo resipuerint & in Christum credant; quam conditionem quum illi non præstent: non potest ex illa gratiæ hypothetica seu conditionali oblatione concludi, corpus & sanguinem Christi ad illos pertinere.

CAP. XVI. *An symbola sacra Cœna solis fidelibus testimonia divina gratiæ sint; & ibi explicatur locus 1. Cor. II. de manducantibus indignè.*

**A**TQUE hætenus impugnavit Hofmannus, quod statuo, Christum pro solis fidelibus atque electis mortuum esse: deinceps similiter impugnat, quod sentio, symbola illa in sacra cœna fidelibus tantum testimonia esse divina. Primum ejus argumentum continetur his verbis: *Annon quum Piscator symbola fidelibus tantum vult testimonia esse divina: cessabit testimonia istius ratio, ubi infideles accesserint: itaque, Sacramenti natura coram infidelibus evanescet: quum in testificatione illa ad fideles tantum instituta, Sacramentum constituat Piscator?* Syllogismus hic est:

*Si symbola in sacra cœna fidelibus tantum testimonia divina sunt; Sacramenti natura coram infidelibus.*

*delib. evanesceat. Quia in illis cessabit testimonii  
istius ratio.*

*At consequens absurdum est.*

*Ergo & antecedens.*

Nego connexum. quia tum demum evanesceret Sacramentum coram infidelibus, si pro eis esset institutum. at institutum est illud pro solis fidelibus: quia institutum est ad obstringendum promissionem gratiæ, quæ pertinet ad solos fideles. Nec dici potest cessare in infidelibus testimonii istius rationem: quippe quum testimonium illud nunquam ad infideles pertinuerit. Sacramentum autem cœnæ constitutum esse in illa testificatione pertinente ad fideles tantum: clarum est ex verbis Christi, *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: Hoc poculum est novum illud testamentum in meo sanguine qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* quorum verborum hæc est sententia, quasi dicat Christus: Ego sacris hisce symbolis, pane & vino, testor vobis discipulis meis, qui in me creditis, atque etiam toti credentium multitudini ab hoc tempore usque ad finem mundi: me corpus meum pro vobis & illis daturum in mortem, & sanguinem in cruce effundendum cum sensu iræ Dei, ut hac ratione sanciam atque confirmem fœdus illud gratiæ, vobisque promerear & acquiram remissionem peccatorum & vitam æternam. Ex his planum est, testificationem illam ad solos fideles pertinere: & in ea sacramenti rationem constitutam esse.

Secundum argumentum proponitur his verbis: *Et qui sacramentum integrum pendebit á divina ordinatione: si fide sumentis non adhibita, Sacramentum sua anima destituetur?* Hoc vult:

*Si Sacramentum Cœnæ fidelibus tantúm testimonium est gratiæ Dei: sequitur fidem sumentis esse se velut animam ejus: sine qua integritas ejus non possit constare. Si autem fides sumentis est anima Sacramenti Cœnæ: sequitur, ipsum non pendere integrum á divina ordinatione.*

*At hoc extremum consequens absurdum est.*

*Ergo & primum illud antecedens.*

Ego veró nego connexum secundum. nam etsi fides sumentis statuatut velut anima Sacramenti: tamen hinc non sequitur, integritatem Sacramenti non pendere á divina ordinatione. Pendet enim á divina ordinatione velut á causa efficiente: á fide autem sumentis, velut á causa formali, saltem ex parte. Etenim divini ordinationis scopus est ut fides sumentis per Sacramentum confirmetur. Ergo Sacramentum Cœnæ eatenus est Sacramentum, quatenus fide accipitur, & ita acceptum fidem sumentis confirmat. Quare cùm in sumentem non est fides; non sumit ille Sacramentum, sed elementum tantúm, quia Sacramentum, quatenus Sacramentum, non nisi fide percipitur: quum sit testimonium divinum gratiæ Dei erga credentes. Huc facit locus Pauli 1. Cor. 11. ubi reprehensus Corinthios propter Cœnæ Dominicæ profanationem aut certé irreverentem tractationem, accommodatam scilicet non



non fidei exercendæ atque confirmandæ, sed ventri saginando: reprehensionē illam sic orditur. *Quum convenitis in unum, hoc nō est Dominicam Cœnam edere; nempe, sicut vos editis.* En negat Apostolus Corinthios Dominicam Cœnam edere, quatenus in edendo non exercebant fidem, nec attenti erant ad cōsiderationem mysterii ac testimonii divini: Sed tantū ventri pascendo operam dabant: ut ex sequentibus videre est.

Tertium argumentum continetur his verbis: *Certē ne quidem generalis signandi ratio manebit: si ad fideles tantū dictum est, Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur.* Hoc vult dicere:

*Si testificatio illa gratiæ Dei quæ fit per sacram Cœnam, ad solos fideles pertinet: sequetur, ad illos solos dictum esse à Christo, Hoc est Corpus meum quod pro vobis traditur.*

*Si autem hoc ad solos fideles dictum est: sequitur generalem signandi rationem in sacra cœna non manere.*

*At hoc extremum consequens est absurdum.*

*Ergo & primum illud antecedens.*

Nego utrunq; connexum, nam ad primum quod attinet: etsi testificatio illa gratiæ Dei quæ fit per sacram cœnam, ad solos fideles pertinet: id tamen non obstat, quo minus verba Christi quibus testificatio illa continetur, pronuntiata sint & adhuc hodie per ministrum Ecclesiæ pronuntientur promiscuè ad hypocritas & veros fideles: sed ad utrosque sub conditione fidei. Ministri enim non est, quum

verbum & Sacramenta administrat, hypocritas á veris fidelibus separare: sed tenetur hypocritas quoque ex charitate pro veris fidelibus habere, donec eorum hypocrisis fuerit detecta: tum enim nō amplius promissionem gratiæ & Sacramenta tanquam annexa sigilla administrare illis debet: sed debet eos á Sacramentis arcere, & loco gratiæ denunciare iram Dei, donec resipuerint. Deinde negotio quoque secundum connexum. nam etsi verba illa ad solos fideles á Christo dicta essent: tamen id non obstatet quo minus maneat in sacra communione ratio illa signandi generalis & hypocritarum piis communis, videlicet quod hypocrisis hoc signo ab aliis ex iudicio charitatis agnoscuntur & habentur pro Christianis. nam testificatio illa gratiæ Dei quæ ad solos fideles pertinet, non obstat, quo minus illi externam professionem Christianæ notam cum hypocritis communem habeant.

Quartum argumentum annectit his verbis: *Atque sic ne respuendo quidem, indigni, futuri sunt corporis & sanguinis Domini.* Hic scilicet Calvinistas suo ipsorum gladio jugulare vult: nimirum ex eo argumentans, quod dicunt, infideles non accipiendi illa, sed respuendo. Sic autem argumentatur:

*Si ad fideles tantum dictum est, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: non poterit verè dici infideles corpus & sanguinè Domini respuere.*  
*At hoc verè dicitur, secundum Calvinistas.*

*Ergo Calvinistis fatendum erit, non ad fideles tantum dicta esse illa verba, Hoc est corpus meum, &c.*

Concedo totum: sed nego hinc effici quod Hofmannus contendit principaliter, nempe testificationem gratiæ Dei non ad solos fideles pertinere. Etenim per illa verba, Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur, gratia Dei promiscuè offertur tam hypocritis quàm veris fidelibus: sed utrisq; cum conditione fidei & tanquam vere credentibus: at gratiam Dei sic oblatam hypocritæ respuunt per incredulitatē: ac proinde testificatio illa ad eos non pertinet.

Quintum argumentum sequitur his verbis: *Qua etiam conscientia minister porrigens panem & vinum, quum inter sumentes discernere nequeat, fidelesne sint an infideles, promiscuè ad omnes dicet: Accipite, comedite, Hoc est corpus Christi pro vobis traditum: Bibite, Hoc est sanguis Christi pro vobis in remissionem peccatorum effusus. Syllogismus sic est:*

*Si verba illa Domini pertinent ad solos fideles: minister symbola porrigens non poterit ea promiscuè bona conscientia pronuntiare ad omnes, quib. symbola porrigit, quippe quum inter illos lateat infideles quos minister nō potest a fidelibus discernere.*

*At minister bona conscientia pronuntiat illa verba ad omnes quib. symbola porrigit, nempe tam ad hypocritas infideles, quàm ad veros fideles.*

*Ergo verba illa Domini, seu testificatio gratiæ Dei illis comprehensa, non pertinet ad solos fideles.*

*Nego connexum, nam etsi testificatio illa pertinet ad solos fideles; quippe quibus solis*



gratia Dei promittitur: tamen interim mini-  
 ster bona cōscientia testificationem illam pro-  
 ponit omnibus promiscuē, quia nō aliter eam  
 proponit nec proponere debet cuiquā quam  
 cum conditione fidei. Et quoniam hypocri-  
 tas quoque, qui fidem ore profitentur & gestu  
 ac morib. externis pietatem simulant, ex cha-  
 ritate pro fidelibus habet: ideo bona consci-  
 entia illis quoque & testificationem illam gra-  
 tia Dei annuntiat, & symbola ad illam obli-  
 guandam instituta eis porrigit. Ita Simonem  
 illum magum, de quo legimus Act. 8. bona  
 conscientia baptizavit sive Philippus, ad eius  
 prædicationem ille profitebatur fidem Chri-  
 stianam: sive alius quispiam Ecclesiæ Samari-  
 tanæ minister: & tamen ille erat hypocrita ac  
 proinde infidelis, sicut postea apparuit. Sed  
 hanc responsionem Hofmannus tanquam ab-  
 surdam rejicit, quum continenter hæc verba  
 annexit: *Sicut enim promissionem justificationis &  
 salvationis nemini licet applicare, nisi præmissa condi-  
 tione fidei: ita constante opinione Piscatoris, minister in  
 porrectione symboli, nulli recte accommodabit verba  
 Domini sine conditione fidei.* Omnino, inquam:  
 & quidem non solum constante (ut dicis) opi-  
 nione Piscatoris: Verum etiam constante tua  
 ipsius sententia quam hoc loco pronuntiaſti:  
 si modo tu tibi ipsi constare voles. Pronuntia-  
 as, & verè pronuntias, Non licere ministro  
 verbi ut promissionem justificationis & salva-  
 tionis cuiquam applicet, nisi præmissa condi-  
 tione fidei. Quomodo igitur pro absurda opi-  
 nione

nione habes, si ego dicam: Ministrum in potestione symboli, nulli recte accommodare verba illa Domini, Hoc est corpus meum, &c. sine conditione fidei. At quid sunt hæc verba aliud quam promissio justificationis & salvationis, symbolo visibili ob signata? Etenim Dominus verba illa pronuncians, hoc ipsum dicere voluit: Ego vobis discipulis meis promitto justificationem & salvationem, acquirendam vobis traditione corporis mei: dummodo vos credatis, corpus meum traditum iri pro vobis atq; hanc promissionem visibili hoc symbolo fracti panis, quo fractio mei corporis representatur, vobis ob signo. Quare Hofmanne si priorem illam sententiam pro vera statuis, ut statuis: non poteris posteriorem quæ eandem cum illa vim habet, ullo jure tanquam absurdam opinionem rejicere.

Sed pergis tamen sententiam hanc tanquam absurdam oppugnare, quum porro sic disputas. *Quam verò oscitantem (inquis) hic fuisse oportet Christum in institutionis formula: ut qui maximè necessariam clausulam omiserit, si Calvinianis creditur.*

Pag. 64.

Sic argumentaris:

*Si clausula illa de conditione fidei necessaria esset in administratione symbolum sacrae Cœna, Christus eam in institutionis formula non omisisset.*

*At omisit.*

*Non igitur clausula illa est necessaria.*

Ego verò clausulam illam à Christo omisam nego. Et si enim non expressè dixerit, Si credideritis, corpus meum pro vobis traditum

ini, habebitis remissionem peccatorum & vitam æternam: tamen clausulam illam duobus modis insinuavit: primo, quum eos allocutus est tanquam discipulos, ac proinde in ipsam credentes: dicens, *Hoc est corpus meum quod datur pro vobis.* Ubi verbum illud *pro vobis* (quemadmodum rectè in suo Catechismo Lutherus tradidit) mera corda credentia postulat. Secundo quum adiecit: *Hoc facite in mei recordationem:* quibus certè verbis fidem exigit, ex qua beneficii accepti memores, gratias pro illo agant, & mortem ipsius (sicut Paulus declarat) annuntient, hoc est publicè prædicent & læta gratiarum actione celebrent: id quod sine fide fieri non potest. Atque huic mandato qui non parerent, ad illum nec promissio pertinet: qua promisit vitam æternam sua morte partam omnibus in ipsam credentibus.

Sed illa verba Domini, *Hoc est corpus meum, &c.* tam ad infideles ac dånandos pertinere, quàm ad fideles & salvandos: ac proinde tam pro illis quàm pro his mortuum esse Christum: ad extremum conatur probare Hofmanus ex verbis Apostoli 1. Cor. 11. v. 29. quem locum sic citat: *Verùm ne Apostolus hanc injuriã inferret Christo: inquit: Indignos (hoc est, infideles: de damnatis enim loquitur) damnationem sibiipsis edere & bibere, quia non discernant corpus Domini.*

Primùm quod innuit, per illam sententiam de conditione fidei injuriam inferri Christo: malitiosa calumnia est, ut æquis lectori judicare potest ex paulo antè disputatis. Deinde quod



quod Apostolo attribuit vocabulum hoc *Indignorum*, quasi scilicet Apostolus illic nominaret quosdam *Indignos*: falso citat Apostoli verba, atq; ita ei injuriam facit, neq; enim dicit ille: *Indignos* damnationem sibi ipsis edere & bibere: sed dicit, Qui edit & bibit *indigné*, damnationem sibi edit & bibit. Nec est quod excipiat Hofmannus, inter hæc nihil interesse, nam certé ista non æquipollent: quum *indignum esse*, notet qualitatem inhærentem ipsi personæ, communem etiam illis qui edunt & bibunt *digné*: etenim nemo dignus est beneficiis Dei: sed omnes sumus indigni. At *indigné edere & bibere sacræ cœnam*, notat qualitatem inhærentem ipsi actioni seu perceptioni symbolorum: quæ illa percipiuntur irreverenter, absq; attentione ad mysterium, absq; exercitatione fidei, absq; annuntiatione mortis Domini: quod ipsū eo loco Apostolus in Corinthiis reprehendit.

Sed adhuc majorem injuriam Apostolo facit Hofmannus, & à mente illius prorsus aberrat, quum ait, eum loqui de infidelibus ac damnatis. (*damnandis* fortasse dicere voluit) quippe qui dicat indignos illos damnationem sibi edere ac bibere. At, inquam, Apostolus toto illo capite nusquam *Indignos* nominat: nec de infidelibus aut damnatis aut etiam damnandis loquitur; sed loquitur de fidelibus, & salvandis. nec ait, eos qui *indigné* edunt ac bibunt, edere ac bibere sibi *ναλάρω*, id est, *dánationem*: sed *κρίω*, id est, *judiciū*: quo nomine intelligit castigationem corporalem: ut liquet ex ipsius declaratione

cum continenter subjungit, inquit: *Propterea inter vos multi sunt infirmi & egroti: ac dormiunt multi: Etenim si nos ipsi dijudicaremus, non judicamur. Sed cum judicamur, à Domino castigamur* (causam dicitur) *ut ne cum mundo condemnemur.* Ex quibus verbis clarè perspicitur, Apostolum loqui de fidelibus ac filiis Dei, quos Deus paternè castigat, quum sacra ipsius mysteria, non ea quae decet, reverentia tractant: quarum quidem castigationum finis atque scopus est, ut ne condemnentur, sed ut salventur. Interim non nega-vero, posse ex illo Pauli loco argumentum duci ad damnationem infidelium, per ratio-cinationem à pari: nam si fideles propter aliquam sacrae cœnæ profanationem, videlicet minus reverentem tractationem, jure à Deo castigantur: Ergo infideles propter profanationem sacrae Cœnæ extremam, videlicet per-ceptionem ejus hypocriticam & fide caren-tem, jure à Deo condemnantur.

Sed consideremus nunc, quomodo Hofmannus ex loco citato concludat propositum. Argumentatur autem ex verbis, *Non discernunt corpus Domini. Cum Apostolus dicat, (inquit) Indignos non discernere corpus Christi: necesse est, panem sacrae Cœnæ tam indignis quam dignis corpus Christi esse; & sic de iis quoque, qui damnationem sibi edunt & bibunt, Christus docere voluit, quod corpus suum pro ipsis sit traditum.*

Hic duo continentur syllogismi connexi.  
Prior:

*Si indigni, id est infideles, non discernunt corpus Christi:*

*Christi: necesse est panem sacrae cœnæ ipsis quoque esse corpus Christi.*

*Sed prius est verum, teste Apostolo.*

*Verum igitur & posterius.*

Nego connexum, nam nulla prorsus in eo ostendi potest necessitas: quæ tamen ab Hofmanno temerè ei attribuitur. Atque adeo consequens istius connexi, ex contrario potius antecedentis efficitur. Etenim panis sacrae cœnæ is demum est corpus Christi, id est testimonium gratiæ Dei morte Christi partæ, qui corpus Christi discernunt: non autem iis qui non discernunt. Discernere enim corpus Christi apud Apostolum, est habere illud in pretio tanquam *ἀντίθετον* nostræ redemptionis: quod qui facit, is symbolum quoque illius, videlicet sacrum illum panem, in pretio habebit, ac proinde dignè, id est, reverenter & adhibita pia meditatione mysterii edet. Etenim verba illa, *Edere ac bibere ἀνάξιος, id est indignè*, Apostolus per hæc ipsa exponit, *ὡς διακρίνειν τὸ σῶμα τῷ κυρίῳ, non discernere corpus Domini*. Quo fit ut ipsis quoque, fidelibus, panis illo tempore, non sit corpus Christi, quum illum edunt indignè & corpus Domini non discernunt. Clarè enim in principio illius loci pronuntiat Apostolus, *hoc non esse cœnam Dominicam edere*: nempe ita indignè seu irreverenter edere, ut tum fideles Corinthii faciebāt. Deinde ad assumptionem quod attinet, illam per se quidem concedo, nempe infideles non discernere corpus Christi: sed nego Apostolum in loco citato de illis loqui: id



quod paulo anté clarissimé ex Apostoli verbis demonstravi.

Sed consideremus quoque alterum syllogismum:

*Si panis sacrae cœne infidelibus quoq; corpus Christi est, qui nimirum damnationem sibi edunt: Ergo Christus verbis illis, Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur, docere voluit, quôd corpus suû pro infidelibus quoq; & damnâdis sit traditum.*

*Sed verum est antecedens.*

*Ergo & consequens.*

*Imô falsum est antecedens: ut modô ostendi.*

CAP. XVII. Expositio verborum Pauli de communione corporis & sanguinis Christi, iterû ac plenius à reprehensionibus Hofmanni vindicatur: & ibi rursus de sumptione sacramentali, item de spiritali & de orali.

**P**ORRO istis ita disputatis, deinceps <sup>et ob-</sup> <sup>signa</sup> accedit ad reprehensionem expositionis verborum Pauli de communione corporis & sanguinis Christi: quam expositionem proposui in libello meo pag. 10. his verbis: *Apostolum tanquam fidelissimum verborum Domini interpretem hoc ipsum quod Christus verbis illis, Hoc est corpus meum, &c. docuit, vocabulo κοινωνιας (id est, cœnæ) adhibito, etiamnum expressius docere voluisse: nempe sacra illa symbola, panem illum, inquam, & poculum illud, quorum in cœna fideles participes sunt, divina atq; infallibilia testimonia esse, quib. Christus ipse testetur, ipsos universos tãquam unum corpus, cujus caput Christus est, communionem inter se habere in corpore Christi pro ipsis crucifixo, iteq; in sanguine Christi pro ipsis effuso.*

*Hanc*

Hanc igitur expositionem reprehendit Hofmannus his verbis: *Demque cum indigni, ut quibus ipsis etiam panis benedictus sit corpus, & vinum sanguis Christi, idem percipiant Sacramentum: refellitur interpretatio novæ vocis de communione spirituali, ita hic asserta, quasi Sacramenti hujus, naturam præstaret: Christi que verbi, Hoc est corpus meum, primaria Sacramenti ratione indicaretur.*

Hic primùm observet Christianus lector, quòd Hofmannus illam meam expositionem non audeat rejicere ut falsam: sed quòd eam criminetur ut insufficientem: quippe quæ non præstet Sacramenti Cœnæ naturam: nec verbi Christi, *Hoc est corpus meum*, indicetur primaria Sacramenti ratione. Quam igitur tu vocas, Hofmannè, primariam Sacramenti rationem? num manducationem ac bibitionem oralem corporis & sanguinis Christi, infidelibus cum fidelibus communem? at talis manducatio nulla est: deinde si esset, non esset tamen primaria ratio Sacramenti: sed potius secundaria: quum Sacramentum institutum sit ad salutem: illa autem oralis quæ fingitur perceptio, ad salutem nihil quicquam faciat. Spiritualis verò illa perceptio atque communio corporis & sanguinis Christi, non solum ad salutem facit, sed ad eam propterea est necessaria. Mirum ergo videri posset, spirituale hæc communionem illi fictitiæ orali ab Hofmanno postponi: nisi apparet pro ista illum præceptum pugnare. Deinde observetur, Hofmannum hic ex falsis falsa deducere, quale est primùm illud enthymema: *Panis benedictus indignis quoque; id*

est infidelibus) est corpus Christi, iteq; vinum sanguis Christi: ergo infideles idem percipiunt cum fidelibus Sacramentum. Antecedentis falsitatem antea ostendi: quare non est mirum, si nunc falsum aliud ex eo deducatur. Et sanè infideles idem percipiunt cum fidelibus elementum, panem scilicet & vinum: at non percipiunt idem Sacramentum: quia elementum illud non accipiunt ut Sacramentum, id est, ut testimonium gratiæ Dei propter Christum. hoc enim testimonium non nisi fide percipi potest. Pari falsitate laborat enthymema alterum: Infideles idem cum fidelibus percipiunt Sacramentum: Ergo Sacramenti natura non consistit tota in perceptione spiritali: & per consequens, expositio illa *καὶ οὐτως* falsa est. Imò, inquam, infideles nō percipiunt proprie loquendo Sacramentum: sed percipiunt tantum elementum cui accidit ut sit Sacramentum, si scilicet cum fide accipiatur. Aliter enim sacramentum, quatenus Sacramentum, percipi non potest. Porro quid sibi velint verba quæ hîc quasi aliquid probaturus, annectit Hofmannus: equidem fateor me non assequi: ac Delio natatore hîc opus esse videatur, nempe cum ait: *Hoc enim Apostolus distinctione sumentium ut commune, ita etiam de natura Sacramenti esse negat.* Equidem non pauca vitia typographica in isto libro deprehēdi, & candidè correxi: (sic ut quis candidus & intelligens lector poterit judicare) at istum *καὶ οὐτως* sermonem assequi non potui. Quare eo omisso, ad sequentia pergamus.

Pag 64.  
Sub finem.

Sequi-



Sequitur autem secundum reprehensionis argumentum his verbis: *Potius autem indignorum ratio cogit κοινωνίαν* quendam, quæ etiam ipsis competat, accipiendam esse: & quidem sacramentalem, verbis Christi respondentem. Ex eo enim quod panis distribuitur & communicatur, Paulus de κοινωνία corporis Christi docet. Hæc Hofmannus. Pag. 67

Sed videamus quæso quid doceat Paulus. Verba ejus ad quæ Hofmannum hic respexisse apparet, sunt hæc: *Poculum benedictionis quod benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne communio corporis Christi est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus: nam omnes unius panis simus participes.* En sic docet Paulus de κοινωνία corporis Christi, ex eo quod panis distribuitur & communicatur. quid autem quæso docet? num communionem corporis & sanguinis Christi oralem? Imò spirituales. Sumus enim nos qui in Christum credimus, & illi tanquam capiti per fidem incorporati sumus: sumus, inquam, unus panis spiritualis, & unum corpus spirituale: ac proinde etiam communio quam in Christi corpore & sanguine habemus, est spiritualis, posita nimirum in fide: quæ sicut una est & omnium communis, ita etiam commune est omnibus sacrificium Christi in cruce oblatum per crucifixionem corporis & effusionem sanguinis ipsius. Talem, inquam, communionem corporis & sanguinis Christi tradit Paulus: spirituales scilicet & fidelium propriam: non autem oralem & infidelium communem. 1. Cor. 10. v. 16. & 17.

non sunt de corpore Christi: ac proinde nec edunt corpus Christi, ut scitè quidam veterum dixit.

Sed pergit Hofmannus, & tertium argumentum annectit his verbis: *Sicut igitur panis est corpus Christi unione sacramentali: ita propter illam unionem, κοινωνία unius necesse est esse κοινωνία alterius. Κοινωνία autem panis istius à Christo describitur his verbis: Accipite, comedite. De sententia igitur Christi, participantes de cœna, communicabunt & corpori Christi: & κοινωνία corporis Christi sacramentalis, distributione ejus corporis cum pane, eaq; fidelibus & infidelibus communi, definienda est. Syllogismus breviter sic habet:*

*Κοινωνία panis Eucharistici, est oralis.*

*Atqui κοινωνία panis Eucharistici, est κοινωνία corporis Christi.*

*Ergo κοινωνία corporis Christi est oralis.*

Major probatur ex verbis Christi, *Accipite, comedite.*

Minor probatur sic:

*Si panis Eucharisticus est corpus Christi unione sacramentali: ergo propter illam unionem, κοινωνία unius necesse est esse κοινωνία alterius.*

*At verum prius.*

*Verum igitur & posterius.*

Ego verò nego primùm Minorem syllogismi principalis: diversa enim non sunt idem: ac duæ illæ κοινωνίαι diversæ sunt: ut patet. Deinde nego connexum prosyllogismi: nam unio sacramentalis non est unio substantialis, sed relativa, nec enim aliter unita dici possunt sym-

symbola sacramentalia rebus significatis, quam quatenus ad illas referuntur tanquam imagines & sigilla. Non est autem necesse ut quicumque imaginem aut sigillum habet, is etiam rem ipsam aut literas habeat: possunt enim hæc divelli: ac divelluntur sanè ab infidelibus, quippe qui rerum per sacramenta significatarum nunquam potiuntur, licet interdum sacramenta percipiant, sed non ut sacramenta, verùm ut elementa aut etiam ut idola.

Porro quartum & quintum reprehensionis argumentum comprehendit his verbis: *Postea* Pag. 65.  
*spiritualis κοινωνία, quæ est unio cum corpore Christi mystica & admiranda, accedit ut fructus fidei: quæ ad illam sacramentalem κοινωνίαν assertur à quibusdam, ideòq; spiritualem communionem pro natura sacramenti, quod commune est dignis & indignis, accipi non permittit.*

Quartum argumentum sic habet:

*Spiritualis κοινωνία post sacramentalem demum accedit. Ergo naturam sacramenti non constituit.*

Nego antecedens. nam spiritualis κοινωνία cum sacramentali necessariò concurret: & sacramentalis absq; spirituali consistere non potest. Is enim demum symbola sacramentaliter percipit: qui percipit ea ut testimonia gratiæ diviñe: qui autè hoc facit, is spiritualiter quoq; unà cū eis percipit res significatas ac testatas. Quid? quod ipse Hofmannus antecedens sui enthymematis nõ constanter affirmat. Quum enim dixisset, spiritualem κοινωνίαν postea (videlicet post sacramentalē) accedere; mox tamè



addit, quod ad illam á quibusdam afferatur. At, inquam, si spiritualis *communio* á quibusdam ad sacramentalem affertur: ergo in quibusdam antecedit: non ergo simpliciter verum est, id quod simpliciter hic fuit affirmatum, nempe postea accedere.

Jam quintum argumentum sic habet:

*Sacramentum dignis & indignis (hoc est fidelibus & infidelibus) commune est.*

*At: communio spiritualis non est utrisq; communis: quippe fructus fidei, ac proinde propria fidelium.*

*Ergo communio spiritualis non potest accipi pro natura sacramenti.*

Nego majorem. nam etsi elementum cui accidit ut sit sacramentum, fidelibus & infidelibus commune est: tamen sacramentum, quantum ad sacramentum, proprium est fidelium. Ad hos enim solos pertinet promissio gratiæ, ad quam obsignandam sacramentum est institutum: & hi soli promissionem percipiunt: ac pari ratione sacramentum, ut sacramentum.

Ad extremum perceptionem corporis Christi oralem, quam ipse sacramentalem nominat, conatur vindicare á consequente absurdo, per figmentum modi mystici & arcani atq; inexplicabilis: sed frustra, ut videbimus. Sic autem ait: *Et si veró corpus Christi non teritur dentibus,*

*pag. 65. nec laceratur ut panis: sicut tamen cum pane unitur sacramentaliter, hoc est, mystico & arcano modo: ita in & cum orali panis manducatione, mysticus & inexplicabilis modus fuerit quo corpus simul percipiatur:*

atq; ideò in manducatione orali istud simul fieri statuitur, quia Christus dixit: Panem qui ore sumitur, esse corpus suum per modum quendam conjunctionis, ex qua simultaneus ille actus perceptionis utriusq; consequatur, nimirum ex sacramentali unione.

Hic primum notetur, Hofmannum non audere cum suis symmystis ac fratribus disertè nominare manducationem corporis Christi *oralem*: sed tantùm dicere, corpus Christi simul percipi in & cum orali manducatione panis. Vidit enim, si nominare velit manducationem corporis Christi *oralem*: se non posse effugere, quin concedat corpus Christi dentibus teri ac lacerari: quum hæc sit oralis manducationis definitio. Confugit igitur ad modum perceptionis *mysticum, arcanum & inexplicabilem*. quasi nimirum tria ista epitheta æquipolleant. At non æquipollent. Neq; enim quod *mysticum & arcanum* est, idem necessariò *inexplicabile* est. Imò verò electis datum est nosse mysteria regni cælorum: ut Christus ipse affirmat. Si nosse: ergo etiam explicare. sicut sanè ibidem Christus mysteria illa publicè proposita, discipulis suis privatim explicabat. Quare etsi concedo, modum perceptionis corporis Christi *mysticum & arcanum* esse: *inexplicabilem* tamen esse nego, quippe cum Christus eum explicarit Johan. 6. ubi docet, Edere carnem ipsius, & Bibere sanguinem ipsius, esse, In ipsum credere, hoc est, credere quòd caro ipsius data sit pro nostra vita, itemq; sanguis effusus pro nobis in remissionem peccatorum,

quod qui credit, atque ita carnem Christi edit & sanguinem ejus bibit, is manet in Christo, & Christus vicissim in ipso. Quare etsi modus hic perceptionis corporis Christi atcanus est & ignotus non initiatis seu non institutis atque edoctis, ex verbo Dei de hoc mysterio: tamen veris discipulis Christi, qui jam in schola ejus profecerunt, est notus. Ac tantum abest, ut modus ille perceptionis corporis Christi sacramentalis, sit inexplicabilis: ut ista de inexplicabilitate opinio, naturæ sacramenti ex diametro repugnet: quippe quod ideò institutum est ut promissio gratiæ magis declaretur, & mysterium redemptionis nostri per Christum amplius nobis innotescat.

Sed consideremus, qua ratione stabilit Hofmann<sup>o</sup> simultaneum illum actum ( ut rem monstruosam monstruosè nominat ) utriusque perceptionis, nempe perceptionis oralis tum panis tum corporis Christi. Quia, inquit, *Christus dixit: Panem qui ore sumitur, esse corpus suum per modum quendam conjunctionis.* At ubi legitur, inquam, Christum hoc dixisse, *Per modum quendam conjunctionis.* Dixit simpliciter, Panem illum esse corpus suum: modum non expressit. Intellexit autem, esse corporis sui signum: sic ut supra suo loco est demonstratum. Sed esto. Panis qui ore sumitur, est corpus Christi per modum quendam conjunctionis. num hinc sequitur: Ergo cum editur panis ore, simul editur corpus Christi: sive ore sive aliter, Nequaquam. Etenim hoc tum demum sequetur, si



tur, si cum pane conjunctum sive unitum esset corpus Christi substantialiter atque inseparabiliter. at hoc non est. quia tantum unitum est relative: ut res significata cum signo. Quare cum panis accipitur absolute, ut panis: id quod fieri potest, atq; etiam fit vel ab imperitis mysterii vel a non attentis: tum relatio illa cessat: ac proinde corpus non percipitur simul cum pane.

CAP. XVIII. *Expositio verborum Domini de poculo a Piscatore allata, vindicatur ab elenchis Hofmanni: & falsa expositio Hofmanni refellitur.*

**D**Einceps reprehendit Hofmannus expositionem meam verborum Domini de poculo: quæ continetur libelli mei pag. 10. his verbis: *Sive dicatur, poculum Domini esse sanguinem novi fœderis, sive novum illud fœdus per sanguinem Christi: utriusq; hujus enunciati sensus unus est, nempe poculum Domini esse sacramentum ac testimonium divinum, quo Dominus nobis testatur, sanguinem ipsius in cruce effusum esse ad confirmandum & sanctiendum fœdus illud gratiæ, quo remissio peccatorum continetur.* Hanc expositionem sic reprehendit Hofmannus: *Quod attinet ad locutionem, Po-* Pag. 66.  
*culum est novum testamentum in sanguine Christi, Piscator sensum revocat ad testimonii tantum rationem, cum tamen in umbratili sanguine Christi non sit fœdus novum, sed in vero & proprio. Hactenus una pars reprehensionis; quæ continetur hoc syllogismo:*

*Si Christus illis verbis de poculo pronunciat is nihil aliud voluit quam testari, sanguinem suum in cruce effusum esse ad confirmandum & sancendum fœdus illud gratia quo remissio peccatorum continetur, ut habet expositio Piscatoris sequitur, fœdus novum in umbratili sanguine Christi consistere.*

*At consequens hoc est absurdum.*

*Ergo & illud antecedens, videlicet expositio Piscatoris.*

At quis non videt manifestam calumniam & falsitatem in connexo? ubi enim ego umbratilem sanguinem Christi nominavi? aut quomodo ex mea illa expositione sequitur, me fœdus novum in umbratili sanguine Christi ponere? Imò vero expressè dixi, fœdus illud gratiæ sancitum esse sanguine Christi in cruce effuso, qui certè non est sanguis umbratilis, sed sanguis verus ac proprius.

Sed pergit expositionem illam reprehendere Hofmannus, inquit: *Et quia poculum dicitur fœdus novum propter sanguinem Christi, ideo poculum non vinum solùm sanguinem significans continet, sed vinum quod est proprius sanguis Christi.* Hactenus secunda reprehensionis pars. Sic autem argumentatur:

*Si poculum dicitur fœdus novum propter sanguinem Christi, ergo sanguinem Christi continet.*

*Sed illud.*

*Hoc igitur.*

Primum connexio propositionis non est necessaria. nam etsi à Christo dictum esset, poculum

culum illud esse novum fœdus propter sanguinem suum, non tamen necessario id ita esset accipiendum, quasi dixisset, *Propterea quod continet sanguinem meum*. posset enim, atque etiam deberet exponi aliter, nempe sic, *Propterea quod est sacramentum sanguinis mei*. Deinde nego affirmationem, id est, nego Christum sic dixisse, ut hoc loco falso citat Hofmannus, nempe, *Hoc poculum est fœdus novum propter sanguinem meum*, quod Græcè esset *διὰ τὸ αἷμά μου*: sed dixit, *τὸ τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι*, id est, *Hoc poculum, novum illud testamentum est in meo sanguine*, 1. Cor. 11. v. 25. & Luc. 22. v. 20. Deinde committitur hîc fallacia compositionis & divisionis. nam verba illa, *ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι*, id est, *in sanguine meo*, non pendent à verbo *ἐστὶ, est*, quasi causa exponatur propter quam poculum dicatur esse fœdus novum, sed pendent à nomine *ἡ καινὴ διαθήκη*, novum illud testamentum seu fœdus, subaudito articulo *ἡ*. Syntaxis enim hæc est: *τὸ τὸ ποτήριον ἐστὶν ἡ καινὴ διαθήκη ἡ ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι*, scilicet *ἔσα* vel *γεννησα*, id est, *Hoc poculum, est novum illud fœdus quod est seu factum est in sanguine meo*. Hæc syntaxis liquet ex collatione cum verbis quæ recitantur à Matthæo cap. 26. v. 28. nempe *τὸ τὸ ἐστὶ τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης*.

Sequitur tertia reprehensionis pars his verbis comprehensa. *Vinum (sacræ cœnæ) est proprius sanguis Christi: sicut columba super Christum à Johanne visa, erat Spiritus sanctus*. Respondeo: Sicut columba illa non erat ipse Spiritus san-



ctus, sed symbolum illius, quo Johannes admonebatur, Spiritum sanctum requiescere super Christo & illum suis donis replere absque mensura, sic vinum Eucharisticum non est proprius sanguis Christi, sed est illius symbolum, significans ac testificans, sanguinem illum pro nobis in cruce effusum esse, atq; ita nobis effectum potum spirituales animarum ad vitam æternam. At Melanchthon (ait porro Hofmannus) *explicationem talem præbuit: Columba erat Spiritus sanctus: id est, cum illa re visibili verè aderat Spiritus sanctus.* Rectè, inquam, sic exposuit Melanchthon, nam præsentia illius signum erat columba: præsentia nimirum illius gratiosæ, qua Spiritus sanctus humanam Christi naturam suis gratiis atq; donis abundè replevit. Dices: Ergo similiter exponendum: Vinum Eucharisticum est sanguis Christi, i. e. cum illo vino verè adest sanguis Christi. Nego consequentiam: nam non est par ratio, quippe vinum nõ est signum præsentia sanguinis Christi, nempe substantialis qualem tu statuis, sed effusionis illius in cruce & communionis spiritualis quæ fit per fidem: quam nonnulli præsentiam spirituales appellant. Sed instat Hofmannus: & urget me testimonio præcipuorum ex nostris, ut qui similem in istis enunciatis esse sententiam eo ipso arguant, quod præsentiam corporis & sanguinis Christi negare nõ audent. Respondeo: Fateor duorum illorum enunciatorum similem esse sententiam hætenus, quatenus in utroque res signata prædicatur de signo: at interim dissimilia sunt.

sunt in eo, quod in uno intelligitur rei signatæ passio, nempe effusio sanguinis Christi: in altero autem intelligitur rei signatæ actio, nempe gratiosa operatio Spiritus sancti. Deinde nostri, concedunt illi quidē præsentiam aliquam corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna: sed nõ qualem tu ponis, realem atq; substantialem, in, cum, sub pane & vino: sed spiritualẽ, qua corpus & sanguis Christi in promissione Evangelii & annexo sacramento obijciuntur Spiritui nostro contemplanda, tanquam pro nobis in cruce oblata: qua contẽplatione fidei fit, ut illis ipsis tanquã cibo ac potu spirituali fruamur ac vegetemur in spirituali illa vita, quæ cõsistit in sensu paterni erga nos favoris Dei, quem Christus corporis sui traditione & sanguinis effusione nobis comparavit. Et quis aliam illarum rerum præsentiam jure requirat?

Quæ sequuntur in principio paginæ 67 jam antea me sunt refutata: sed ne habeat adversarius occasionem calumniandi, iterum paucis perstringam. Ait: *Quia igitur cum vino illo verè ad- pag. 67.*  
*est sanguis Christi, poculo vinum istud continenti tribuitur fœderis appellatio, quod in sanguine illo porrigitur.*

Hic primum notetur, Hofmannum fateri, poculo tributam esse fœderis appellationem. at quibus verbis tributa est? nõne his, *Hoc poculum est novũ illud fœdus?* At hic *fœdus* de poculo prædicatur. Patet ergo, vel Hofmanni iudicio, eundem verborũ sensum esse, sive poculo fœderis appellatio tribuatur, & poculum nomine

fœderis appelletur: sive fœdus de poculo prædicetur seu enunciatur. Atqui quum signum rei signatæ nomine appellatur, metonymiam esse concedit Hofmannus. Concedat igitur etiam esse metonymiam, quum de signo res signata enunciatur. Et certè par est ratio. nam si metonymia est (verbi gratia) quum dicit Deus: *Fœdus meum erit in carne vestra*: ubi appellatio fœderis tribuitur circumcisioni: certè etiam metonymia est, quum idem dicit, *Circumcisio est fœdus*: ubi de circumcisione ipsum fœdus enunciatur. Sed ut ad rem propositam veniamus: dico, falsam hinc causam ab Hofmanno tradi, cur poculo tribuatur à Domino appellatio fœderis, seu cur poculum dicatur esse fœdus: nempe quòd sanguis Christi cum illo vino verè (id est substantialiter) adsit. hoc enim nusquam traditur in institutione. Vera autem causa facile percipitur ex collatione dicti similis de circumcisione Gen. 17. cui tribuitur fœderis appellatio, atque adeo ipsa dicitur esse fœdus, quia sit signum fœderis: non quia fœdus in ea sit inclusum. Porrò verba illa extrema ambigua sunt, & inepta: quocunq; modo ad præcedentia referantur. Ait: *Poculo vinum istud continenti tribuitur fœderis appellatio, quod in sanguine illo porrigitur*. Quidnam illud est, inquam, quod dicitur porrigi? Vinum, an fœdus? Si vinum: quid est, *Vinum porrigitur in sanguine*? & cur non potius ex vestra quidem opinione, *sanguis porrigitur in vino*? Si fœdus: quid est, *Fœdus porrigitur*?

Pag. 67.

Porrò



Porro reprehensionem institutam concludit his verbis: *Piscator igitur nuda testificatione non assequitur sensum verborum Christi: sed id quod potissimum credendum est, negligit.* Et quòdnam quæso est illud potissimum credendum? nempe fictitia illa vestra porrectio ac perceptio corporis & sanguinis Christi, quæ fiat manu & ore unâ cum pane & vino. Hòcne igitur potiùs credendum est, quàm Christum per sacram cœnam voluisse testificari de gratia Dei erga nos propter satisfactionem morte ipsius peractam? At ego credo, id esse potissimum, imò unicè, de sacra Cœna credendum, quod ipsa illius tradit institutio, at hæc tradit: *Corpus Domini pro nobis esse crucifigendum, & sanguinem ejus pro nobis esse fundendum in remissionem peccatorum: & deniq; hunc panem esse edendum & hoc poculum bibendum in ipsius recordationem, hoc est, interprete Paulo, ut mortem ipsius annunciemus.* Hæc sunt potissima, atque adeò sola, quæ omnibus piis in institutione sacrae Cœnæ credenda proponuntur: præsentia autem corporis *in, cum, sub* pane: itemq; sanguinis *in, cum, sub* vino, nullo verbo, imò nulla syllaba, imò nulla litera in institutione attingitur. Quanquam & illud notandum, calumniosè hîc ab Hofmanno nominari testificationem nudam. Nam statuere mortificationem in sacra Cœna non nudam seu inanem, sed efficacem ac plenam operationis Spiritus sancti: cognoscere potuit, atq; adeò debuit, ex libelli mei pagina penultima: ubi clarè dico, *Christum fines hujus sacri instituti* (inter

hos autem præcipuus est testificatio illa) virtute sui spiritus effectos dare in electis suis: quo fiat, ut non sint nuda & inania signa, sed signa efficacia. hoc est, organa spiritus sancti, quibus ille potenter utitur ad fidem in electis confirmandam, atq; ita ad *νομινα* ipsorum cum Christo augendam, &c. Facessat igitur illa de nuda testificatione calumnia.

C A P. X I X. Calumnia de intentione metonymia  
Piscatoris refellitur.

**P**ag. 67. **D**einceps expositionem meam verborum Christi, reprehendit ac irridet ex eo, quod frustratus sum mea intentione. Sed intentione mihi affingit falsó, affirmans, me ideo metonymiam obtrulisse, ut presentiam corporis Christi cum pane realem tollerem. At ostēdat Hofmannus, ubi ego sic ratiociner: Panis est signum corporis Christi: Ergo corpus non est præiens cum pane. Imó si sic collegissem: non fuisset locus prolepsi quam appolui pag. 22. in fine, his verbis: *Verum enimveró non desunt qui fateantur quidem, Panem Eucharisticum corporis Christi esse signum sive symbolum, sed symbolum corporis cum pane præsentis.* Præterea & illud falsó de me affirmat Hofmannus: *me metonymiam continentis & contenti, itemq; signi & signati, sic separare, ut simul nunquam concedam.* Ubi veró ego hoc facio? num quia nego, duplicem illam metonymiam concurrere in propositis enunciatis sacramentalibus: idcirco negare tibi videor unquam illa concurrere. Imó me cōcedere quod illa interdum concurrant: potuisti colligere ex iis que dico

dico de metonymia illa qua columbæ appella-  
tio tribuitur Spiritui sancto. Concessi enim, Pag. libelli  
mei 23.  
columbã illam fuisse symbolũ Spiritus sancti  
presentis: atq; adeo Spiritum sanctum fuisse in  
illa columba, ut qui ubiq; sit.

Sed consideremus quoque quã justè me-  
cum ex postulet Hofmannus, quum ait, *Sed  
quãvis illi metonymiam concederemus, nihilominus  
in jus vocari posset, quòd nobis invideret id, quod meto-  
nymia sua natura non fastidiret.* Quo verò jure vo-  
caret me in jus mendicus quispiam, si frustum  
panis aut pretiosorem etiã eleemosynam  
non posset à me obtinere precario? Num ac-  
cusaret me invidia? At invidia est boni quod  
alter jam jure suo possidet. Quare ergo tu invi-  
diã me accusas, quòd non concedo tibi in præ-  
dicationibus illis sacramentalibus metonymi-  
am continentis & contenti, quam tu precario  
petis, dum ais, *Metonymiam sua natura non  
fastidire illam continentis & contenti affectio-  
nem?* At non est satis, non fastidire sua natura,  
ac proinde interdum locum habere: sed de-  
monstrandum est, in propositis quoq; exem-  
plis talem metonymiam esse. Tum demum si  
illam negavero, de invidia mecum ex postulan-  
di jus habebis.

Porrò quòd deinceps recitat exempla signo-  
rum, in quibus simul concurrit ratio aliqua  
continentis, item quòd allegat Orthodoxum  
consensum tale exemplũ proponentis, & Bezã  
concursum illum realis & sacramentalis præ-  
sentia in pane confitentis: omnia hæc ut nihil



contra me faciunt, ut qui concursum illum  
 nunquam negavi, ita ad sententiam Hofmanni  
 confirmandam infirma atque inefficacia sunt:  
 quam non sit necesse ut duo illa, ratio inquam  
 signi & continentis, concurrant in signis sa-  
 cramentalibus sacrae Cœnæ: licet concurrant  
 in quibusdam aliis signis. Quapropter ineptè  
 & calumniosè me urget Hofmannus, cum ira  
 ex me quærit: *Si igitur continens & contentum, si-  
 gni & signati rationem recipere possunt, & tumana-  
 ximè quando visibile & invisibile ununtur, qua ob-  
 sacro necessitate constabit hoc loco (puta in signis sa-  
 cræ Cœnæ) negatio continentis & contenti? Re-  
 ctiùs ego quæsihero ex Hofmanno: Quæ ne-  
 cessitate constabit contraria affirmatio? quip-  
 pe pro hac concludenda ille hîc laborat. Et fal-  
 sò ac per calumniam mihi affingit Hofmannus  
 hanc ratiocinationem: Est metonymia signi  
 & signati, non igitur continentis & contenti.  
 Equidem in prædicationibus sacramentalibus  
 sacrae Cœnæ illud affirmo, hoc nego: hoc ta-  
 men ex illo non concludo. Simile est & illud  
 quod subjungit paulo-pòst: *A presentia igitur  
 sacramentali, inquit, ad negationem presentia  
 realis, qua consequentia? Nulla, inquam. Sed  
 quæro ego vicissim, idque jure: quænam tua  
 sit impudentia, quòd talem consequentiam  
 mihi affingis? Sed Hofmannus calumni-  
 ando sibi nunquam satisfaciens, eandem ca-  
 lumniam quinto repetit, idque cum aucta-  
 rio convitii quo mihi objicit futilitatem, in-  
 quiens: *Videre igitur nunc licet, quòd Piscator  
 tantope-***

*tantopere pro metonymia laborans, ut corpus Christi à pane abesse persuadent, futiliter agat. Imò tu mecum agis calumniosè, dum scopũ falsum meæ expositioni affingis. Verus enim scopus est, ut tropi indicatione magis declarem genuinum sensum verborum Domini. De absentia autem corporis à pane, separatim tracto pagina libelli mei 25. & 26. Quòd autem hìc obiter infarcis, corpus Christi penetrasse fores clausas: id ut absque autoritate scripture à te affirmatur: ita à me iusta ratione rejicitur. Scriptum est Johan. 20. v. 19. ac rursus v. 26. Christum venisse ad discipulos januis clausis, ἔλθαι εἰς τὸν οἶκον τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, hoc est, eo tempore quo januæ erant clausæ: non autem scriptum est, διελθῆναι εἰς τὰς θύρας κεκλεισμένας, penetrasse fores clausas. Modus autem quo intraverit, non exprimitur.*

CAP. XX. *Causa Hofmanni propter quas metonymiam non vult concedere, refutantur.*

**D**EINCEPS pag. 69. prolepsin instituit ad se excusandum de repudiata metonymia, cum tamen illa opinioni suæ de reali præsentia atq; coexistentia corporis Christi cum pane nihil officiat. Atq; hìc suam facilitatem commemorat, qua soleat suas quasdam phrasès cõcedere iis qui cum ipso de re consentiant. Magna verò facilitas, concedere id quod non officit tuæ opinioni: pro qua tu tanquam pro aris & focis (ut dici solet) depugnas! Et quænam hæc eã justitia: quod velles mihi concedere

metonymiam, si modó approbarem tuam illam de reali coëxstentia corporis Christi cum pane opinionem? Nunc veró cum opinionem istam improbem, concedere mihi metonymiam non vis. At si metonymia veré á me statuitur: cur non concedis etiam nunc? Si falló: cur velles eam concedere unquam, & ullam ob causam? Sed recurrit híc iterata jam sæpius calumnia, ubi dicis: *Metonymiam á me conductam esse ut præsentiam corporis & sanguinis Christi cum symbolis sacræ cœnæ in terra declinem.* Quod autem dicis, oportere vos in dissensu nobiscum esse tenaces. id perinde accipio, ac si dixisses, *pertinaces.* nam revera pertinacia est, quód tanto jam tempore opinionem illam vestram de reali corporis & sanguinis Christi cum symbolis sacræ Cœnæ coëxstentia propugnatis. *At in hoc tenaces nos esse oportet, inquis: quoniam de verbis testamenti Salvatoris nostri res est, nobis rō pñtā declaratione testatoris assertum amplectentibus.*

At falsa, inquam, hæc vestra gloriatio est. nusquam enim in verbis testamenti illius dicitur, Corpus & sanguinem Christi realiter atque substantialiter præsentia esse *in,* vel *cum,* vel *sub* pane & vino; id quod vos dicitis.

Sed plures causas accumulat Hofmannus, cur metonymiam in verbis Domini nobis nolit concedere. Secundam igitur facit, quód per illam vis inferatur probatissimæ doctrinæ de tropis. Sed hoc crimen jam antea suo loco á nobis est refutatum: & pauló póst in explicatione Quæstionis tertiæ amplius ailuctur: ubi demon-



demonstrabitur ex illa ipsa probatissima doctrina de tropis, in enuntiatis illis sacrae cœnæ controversis metonymiam esse in prædicato. Terriam causam facit: quod per illam metonymiam Dialecticum (nescio quid) cum videlicet vinum pro poculo dicitur: & Rhetoricum, cum poculum pro vino ponitur, confundantur. At ubi dicitur vinum pro poculo? Fortasse legendum, de poculo. At nec de poculo vinum dicitur. Sed de poculo seu vino dicitur sanguis Christi, in verbis illis: Hoc est sanguis meus, id est symbolum sanguinis mei. qua expositione metonymica, nulla fit Dialecticæ & Rhetoricæ confusio.

Quartam denique causam recusationis affert, quod per istam metonymiam alia inconvenientia Pag. 79. accumuluntur: in primis verò quod ad modum tropi usitati cogatur & torqueatur modus mysticus & arcanus, qui est Sacramenti.

At nulla, inquam, hic coactio est, nam mysteria regni Dei (in quo numero & hoc sacrae cœnæ mysterium est) in scriptura explicantur sermone usitato, eoque tum proprio tum tropico. Sed de modo mystico Sacramenti jam supra respondi.

CAP. XXI. Errores quidam Hofmanni de analysi metonymiæ, & de sede metaphora in copula, deteguntur: item inconstantia in exponendo enuntiato, Toga est pax: item inepta defensio synecdoches Lutheri.

Pag. 70.

**C**ÆTERVM quorsum tendat sequens admonitio de discrimine quodam inter metonymiam & metaphoram, non satis liquet: veruntamen ex collatione præcedentium videtur hoc velle: Metaphoram quidem resolvi posse in enuntiatum metaphoricum: at metonymiam non posse resolvi in enuntiatum metonymicum. Sic autem ait: *At simpliciores notabunt: metonymiam in poculo, cum nimirum provino ponitur, non remanere, cum poculum dicitur esse vinum. hic enim poculum propriè accipi manifestum est. Cum autem vulpes de astuto metaphoricè usurpatur de Herode, tum ut metaphora maneat, sic dicitur: Herodes est vulpes: hoc est. vox tropica prædicatum præstat, & cum copula ὅτι metaphoricum sustinet.* Primò hic notandum, fingi ab Hofmanno falsam hypothèsin: quasi nimirum in usu sit huiusmodi enuntiatum, *Poculum est vinum.* sicut nimirum in usu sunt huiusmodi enuntiata quale est, *Herodes est vulpes.* Sic enim dicitur: *Homo homini lupus est: Homo homini Deus est: Voluptas est esca malorum: Parsimonia magnum vectigal est.* Deinde notandum, non observari ab Hofmanno justam ἀναλύσεως proportionem. nam sicut quum *Vulpes* pro *Herode* nominatur, resolvitur sic, *Herodes est Vulpes:* pari ratione quum *poculum* nominatur pro *vino*, resolvendum esset sic: *Vinum est poculum:* non autem ut resolvit Hofmannus, *Poculum est vinum.* At metonymia continentis neutram illam analysin admittit. Admittit autem similem analysin, qualis cadit in meta-

metaphoram, metonymia signati. Etenim sicut recte & usitate signatum pro signo ponitur: ut fœdus pro circumcissione, transitus pro agno: sic etiam recte & usitate (in sacra quidem scriptura) de signo signatum enuntiatur: ut Circumcissio est fœdus, Agnus est transitus.

Tertiò observandum est in isto enuntiato, *Herodes est Vulpes*, metaphoram ab Hofmanno poni in prædicato. Jure igitur aliquis miretur, cur idem neget, in prædicato locum habere posse metonymiam. Quòd autem addit, copulam quoq; *λόγον* metaphoricum sustinere in eo errat, & à probatissima illa doctrina de tropis quam paulò antè collaudavit, recedit. Est enim tropus, docente Ramo, cùm verbum à nativa significatione in aliã immutatur. quam definitionem totidem verbis contra me citavit Hofmãnus libri sui pag. 9. sub finem. Nunc ego assumo: Atqui in illo enuntiato, *Herodes est vulpes*, verbum *EST* (nempe ipsa copula) à nativa significatione in aliam non immutatur. Etenim nativæ copulæ significatio est, quòd est nota affirmationis: hanc autem in illo enuntiato retinet. Concludo: Ergo in copula istius enuntiatorum non est tropus: & per consequens falsum est, quod hic affirmat Hofmannus, prædicatum illius enuntiatorum cum copula *λόγον* metaphoricum sustinere.

Quæ deinceps pag. 70. & 71. verbosè & spinosè disserit de enuntiato illo, *Toga est pax*, ad tuendum suam *ἑστίον*, qua affirmavit, illud esse non metonymicum, sed metaphoricum: in-



Pag. 71.  
lin. 7.

eptam ac inanem nugationem continent: ac proinde digna non sunt in quibus accuratius examinandis tempus ac operam perdam. Illud tamen notatu dignum est, quod Hofmannus vi veritatis adactus, enuntiatum illud, *Toga est pax*, exponit per hoc, *Toga est signum pacis*. Quod cum fatiat: quis non miretur ejus perrenaciam, contendentis, illud enuntiatum esse metaphoricum, non metonymicum. De tenim, si potest, vel unum enuntiatum quod extra controversiam metaphoricum est, quod ad eum modum possit exponi. Contra vero quum pax exponitur per signum pacis: quis non videt, tum in voce pacis esse metonymiam?

Pag. 72.

Deinceps pag. 72. delapsus ad synecdochen Lutheri, firmare eam nititur per unionem signorum & rerum signatarum, dicens: *quod ita unum sit alterum* (puta quod panis sit corpus Christi) *sicut invicem juncta & unita sunt, modo tantum unionis arcano & imperferutabili, qui sacramentis proprius est.* At quæ est ratio consequentia: Panis & corpus Christi sunt inter se unita: Ergo illorum unum est alterum? num igitur ex unitis unum est alterum?

Deinde falsum est, modum illius unionis esse imperferutabilem. quippe Sacramenta ideo á Deo instituta sunt, ut per ea melius nobis declararet mysterium salutis: quomodo igitur ipsorum ratio erit imperferutabilis? Sed de hac re supra quantum satis erat, á me dictum est.

CAP. XXII. *An explicatio Piscatoris recte ab Hofmanno arguatur insufficientia: & an illa directa sit contra presentiam corporis Christi cum pane: & an hæc opinio recte confirmetur testimonio Calvini.*

SEd redit tandem Hofmannus ad reprehensionem explanationis meæ tanquam insufficientis, sic inquit: *Et quoniam λόγος sacramentalis, quem in hac locutione Christi consideramus, Hoc est corpus meum, proprie consistit in ratione unionis panis cum corpore Christi: deliberet nunc Piscator, quam procul absit explicatio signandi speculatione solummodo definita, ab ea que est vere sacramentalis.* At hæc petitio principii est, λόγος sacramentalis consistere in unione (nempe reali & substantiali) panis cum corpore Christi. Unio vero sacramentalis si recte definiatur, explicatio nem meam insufficientiæ non arguet: sed potius tanquam sufficientem confirmabit: quippe cum sacramentalis unio nihil aliud sit, quam relatio signi ad rem significatam. Porro in speculationis vocabulo calumnia later: de qua etiam supra admonuimus. Postea calumniam illam jam toties iteratam repetit: videlicet, *Metonymiam à me urgeri, ut isti natura sacramentalis* (quam nimirum tradit Hofmannus: hoc est, presentia corporis Christi cum pane) *opponatur. item, quicquid ego hic disputo, id omne me dirigere ad abolitionem presentia corporis Christi cum pane.* Quædam, fateor, eó à me directa sunt: non omnia: ac nominatim non est eó directa ipsa explicatio metonymica: ut jam supra ostendi.

Pag. 71. &amp; 73.

Pag. 74. in  
principio.

Sed quó magis præsentiam corporis Christi cum pane commēdet Hofmannus, recitat verba Calvini ex commentario in 1. Cor. II. At verba illa realem atque substantialem coexistentiam corporis Christi nusquam tradunt nam quod dicit, panem esse tale symbolum corporis *quo res ipsa exhibetur*: id non intelligit de exhibitione quæ fiat manu porrigentis ministri *in, cum, vel sub* pane: sed (ut ipse pauló post declarat) quia panis ille certó testetur (notat Hofmannus: *quia certó testetur*) exhiberi nobis corpus illud quod figurat. At constat ex doctrina Calvini, illum, nullam aliam constituturam rem testatam Sacramentorum, quam statuit ipsius verbi. Verbum autem Dei nusquam testatur, exhiberi nobis corpus Christi manu ut accipiatur & manducetur ore: sed testatur illud nobis exhiberi ut victimam pro nobis in cruce oblatam, qua pascantur corda nostra ad vitam æternam. Et hoc ipsum vult Calvinus, quum in loci citati fine ait: non minús veré nos *quantum ad vim spiritualem attinet*, participes corporis Christi fieri, quam pane vescimur. Nota: non dicit, quantum ad substantiam attinet: sed, *quantum attinet ad vim spiritualem*. Vis autem illa spiritualis, est vis illa corporis Christi qua per illius passionem cum sensu iræ Dei propter nostra peccata, partus est nobis favor Dei: cujus favoris gustu nos vitam illam spiritualem ac veram vivimus: quæ á Paulo nominatur gaudium in Spiritu sancto.

Verum



Verum Hofmannus præter spirituales illam vim, præsentiam quoque corporis Christi cum pane urget: quippe quod illam Calvinus tradidit agnoscat illis verbis, *Hoc est corpus meum: quodque panis non alio modo sit corpus Christi fideli quam infideli: quum horum respectu non varietur institutio Dominica.* At, inquam, ex verbis illis Calvini ostendi non potest, quod hic confidenter affirmat Hofmannus: Calvinum statuere præsentiam corporis cum pane. Deinde quod de infideli dicit Hofmannus: falsum est, quia panis ille sacer non est corpus Christi infideli: quia ad eum non pertinet promissio. Nec tamen propterea variatur institutio Dominica: quippe quum panis ille sacer non sit ad hoc à Domino institutus atque ordinatus, ut sit corpus Christi infideli: hoc est, ut confirmet infidellem, tanquam divinum testimonium, de gratia Dei per corporis sui traditionem parta: sed institutus atque ordinatus est, ut hoc testetur fidelibus tantum: ac proinde ut illis tantum, non autem infidelibus, sit corpus Christi.

Sed pergit Hofmannus reprehendere explicationem meam. *Cum etiam (inquit) in natura metonymia non sit, præsentiam istam arguendi: patet omnibus, nulla necessitate urgeri eam.* Pag. 75.

Apparet Hofmannum hoc loco usum esse verbo *Arguendi*, pro verbo *Redarguendi*, at repetit pristinam illam calumniam: quasi ego metonymiam urgeam causâ redarguendi opinionem ipsius de præsentia corporis Christi cum pane. Quod autem hinc concludit, patere o-

inibus, Metonymiam nulla necessitate urgeri; nã ille mirus Logicus est, qui ex negata specie una genus univèrsum neget: sic nimirũ ratiocinans: *Metonymia non est urgenda ad redarguendum istam præsentiam: Ergo nullam ob causam est urgenda.* At cogitare hic debuisses, Hofmanne, vulgatum illud & in scholis receptum axiomã: *Unius rei plures possunt esse fines.* Quare etsi metonymia illa non sit urgenda propter hunc finẽ, ut per eam redarguatur ista quam tu fingis præsentia: tamen id non obstat, quo minus sit urgenda ad aperiendum genuinum verborũ sensum: idq; ad fidelium rectam institutionem & solidam consolationem. Quod quum ita sit patet nunc omnibus bonis, quã iniquum ac improbum convitium hic per stomachosam exclamationẽ in me ac nostros evomat adversarius, quum ait: *Quanta igitur improbitas erit, tantis odiis pro metonymia tanquam hic necessario ponenda concertandi!* Imò tua potiùs, Hofmanne, rumq; gregalium improba pertinacia & pertinax improbitas est, quòd tantis odiis tanto jam tempore metonymiam oppugnatis: quam tamen redarguere non potestis: imò quam tu quidem fateris sententiæ vestræ nihil officere; sed illa etiam cõcessa, tamen præsentiam illam quam vultis á vobis asseri posse.

Pag. 69

Tandem rursus annectit veterem illam calumniam: & pium lectorem non crambe bis posita (quod proverbio dici solet) sed calumnia iterum atq; iterũ recocta enecat: quum ait, tropum illum (nempe metonymiam in verbis

bis Domini) potissimum dicari absentia quæ  
veræ presentia opponatur.

CAP. XXIII. *Quis tradiderit, locutionem  
hanc Christi, Hic est sanguis meus, &c.  
similem esse illi Moysi, Hic est sanguis fœ-  
deris. Et an verba illa imperité vel oscitanter  
à Piscatore sint citata, & versio illa veteris  
interpretis reprehensa.*

PERGIT deinceps Hofmannus, & ea repre-  
hendit ac carpit, quæ pagina libelli mei II.  
& 12. scripsi de fallacia quorundam, qui dicunt,  
prorsus similem esse loquedi rationem in ver-  
bis Domini ( prout ipsi citant ex vulgari ver-  
sione ) *Hic est sanguis meus novi testamenti, &c.*  
Matth. 26. v. 28. & in verbis Moysi ( prout in  
eadem vulgari versione habetur ) *Hic est san-  
guis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum.* Exod.  
24. v. 8. Ac primum innuit Hofmannus, nemi-  
nem esse qui id faciat, quod ut ita putet, vide-  
tur induci falsa illa sua persuasione: quasi ego  
libello meo nihil aliud egerim, quam ut refu-  
tarem ipsius theses, in quibus quum ista com-  
paratio non instituat, sicut nec in reliquis ( ut  
ex hoc quidē loco colligo ) Hofmanni scriptis :  
putat ille id à nemine fieri, ac proinde me istud  
crimen temerè comminisci. Sed cogitare de-  
buit Hofmannus, se unum non esse omnes: ac  
præter se alios quoque falsi dogmatis patro-  
nos esse, qui tamen non iisdem per omnia ar-  
gumentis id defendere laborent. Sciat igitur  
Hofmannus, istam quam commemoravi



duorum illorum enuntiatorum collationem, mihi propositam esse à celebri illo Ubiquitatis monstroræ doctore ac patrono, cujus nec scio quot crassiores errores in unum libellum collecti sub nomine Danielis Hofmanni non ita ante multos annos in lucem editi sunt. Is enim quò persuadere mihi conaretur, in verbis Domini, *Hoc est corpus meum*, item *Hoc est sanguis meus*, esse prædicationem identicam: commentum illud afferebat.

Pag 75.

Deinde exprobrat mihi Hofmannus oscitantiam, ut qui non inspexerim Biblia: cum citarem ex vulgata versione verba illa, *Hic est sanguis meus novi testamenti*. quippe quum versionem hanc culpam tanquam vitiosam: quia non *HIC*, sed *HOC*, reddi debuerit. At, inquit Hofmannus, cum in ea versione non poculum sed calix legatur: demonstrativum certè ad calicem referendum, masculinum esse debuit. At, inquam, Hofmannè: fallit hæc ratio. nam idem interpret verba de pane vertit, *Hoc est corpus meum*: nõ autem, *Hic* ( scilicet panis ) est corpus meum. Ergo apparet, interpretem non respexisse ad nomen antecedens, sed ad sequens: quod in utroque enuntiato convenit genere cum pronomine antecedente: videlicet, τὸ τὸ ἵσιν τὸ αἶμα μου. Apparet igitur, qua causa adductus fuit ille interpret, ut verteret, *Hoc est corpus meum*: eadem fuisse quoque adductum, ut verteret, *Hic est sanguis meus*. At illic non respexit ad nomen panis: quia vertere debuisset, *Hic est corpus meum*: videlicet *hic panis*.

panis. Ergo nec in altero enuntiato vertendo respexit ad nomen calicis. Falsa igitur est hæc & petulans Hofmanni criminatio: neque ulla hîc mea vel inscitia Grammaticæ, vel oscitantia in citando apparet: sed apparet Hofmanni studiosè quæ sita cavillatio.

Posthæc utitur Hofmannus recriminatione. ait enim: *Certus sum quòd in equiparandis* Pag. 76.  
*duobus illis enuntiatis ( nimirum Christi & Mo-*  
*sis ) plus sibi sumpserint Sacramentarii, quàm no-*  
*strates.* Sed si licet hoc Hofmanno simpliciter & absque addita probatione affirmare: liceat mihi idem eodem modo negare.

CAP. XXIV. *Argumenta Hofmanni que ex istarum locutionum collatione promit, discutuntur.*

PORRO ait Hofmannus: *Equidem ut planè eundem utrobique sensum non admitto: ita hæc inde deprompta contra Calvinianos argumenta haud puto tenuia esse.* At, inquam, Hofmannè, non quæritur hîc de eodem utrobique sensu: sed de eadem utrobique loquendi ratione. Quare hîc aberras à quæstione proposita. Sed videamus grandia illa quæ promittis argumenta.

Primum igitur hoc est: *quòd sicut veteris fœderis sanguis essentialis pecuinus fuit: ita sanguinem novi testamenti oporteat accipere verum essentialem sanguinem Christi.* Quis negat? inquam.

At pergis, & ex hoc concessio sic inferis: Unde τὸ πῦρτον prædicati in hac propositione constat, Vinum sacra cœna est sanguis Christi. Callidé loqueris, quum dicis τὸ πῦρτον prædicati illius constare, nam si id negem: dices me contradicere Christo: quippe qui prædicatum illud εἶπας, dixit atque enuntiavit. Si veró concedam: dices, prædicatum illud proprié loquendo dictum atque enuntiatum esse. At ego prædicatum illud á Domino dictum atque pronuntiatum esse non nego: quippe impius sit qui istud faciat: sed nego dictum esse proprié loquendo: quum dictum sit per tropum metonymiam: quasi dictum esset, *signum sanguinis Christi*. Nec veró hic tropus veritati sanguinis Christi quicquam adimit. Intelligitur enim, vinum esse signum veri illius sanguinis Christi, quo novum fœdus confirmatum est.

Secundum argumentum proponit his verbis: *Sicut in veteri testamento sanguis & Deo immolabatur & populo aspergebatur, ut fieret & ob-signaretur confœderatio inter Deum & illum populum: ita novi fœderis ratio postulat, ut sanguis Christi non solúm patri sit oblatu in cruce, sed etiam applicetur hominibus.*

Hucusque recté: & hæc omnia concedo. Sed quid amplius? Pergit: *Et in promissione quidem sit applicatio per fidem; in ritu autem sacramentali, singulari (intellige applicatione) opus est.*

Hoc veró nego. nam ritus sacramentalis ideo



ideo institutus est, ut fiat applicatio sanguinis Christi per fidem: non secus ac in promissione. Est enim verbi & Sacramentorum unus idemque scopus.

Sed quænam est singularis illa quæ in Sacramento Cœnæ fit, sanguinis Christi applicatio? pergit, & ait: *Quæ (scilicet applicatio sanguinis Christi) ut in veteri fœdere asperzione fiebat (nimirum asperzione sanguinis pecuini) ita in novo secundum voluntatem divinam, perspicuis verbis Christi declarata, præbitione & bibitione præter spiritualem sit sacramentali.*

Sonora scilicet & numero oratorio concinna (veruntamen verbis nimis ambitiose atque affectatè trajectis) clausula. Sed rem ipsam consideremus. Sunt autem hîc omnia falsa. Et refutantur hac unica veritate, quod unica tantum est applicatio sanguinis Christi, ea nimirum quæ fit per fidem: qua (ut Petrus ait) purgantur corda, & sanguine Jesu Christi asperguntur. Quare falsum est, in veteri fœdere applicationem sanguinis Christi factam esse per asperionem sanguinis pecuini: sic enim hypocritis quoque applicatus fuisset sanguis Christi: id quod est impossibile: quum hypocritæ careant fide, qua sola sanguis Christi applicari potest. Similiter falsum est, in novo fœdere applicationem sanguinis Christi fieri per præbitionem & bibitionem quam Hofmannus vocat sacramentalem, intelligens

Act. 15. v. 9.  
1. Pet. 1. v. 2.

interim realem quæ fit manu & ore. nam verè sacramentalis bibitio necessariò conjuncta est cum spirituali. quum enim sacrum illud vinum bibitur sacramentaliter, videlicet ut Sacramentum sanguinis Christi: tum necessariò ipse sanguis Christi bibitur spiritualiter, nempe per fidem: cujus expertes sunt hypocritæ, bibentes interim vinum Sacramentale, sed non sacramentaliter. Denique falsum est, hanc esse Christi voluntatem, ut scilicet sanguis ipsius bibitione illa orali applicetur: falsum item, quòd hæc Christi voluntas perspicuis verbis sit declarata. Quare quum tot falsa in tam paucis verbis accumularit Hofmannus: non habuit justam causam sic exclamandi &, tanquam os mihi occlusisset, triumphandi: *Quid verò, quo jure in hac comparatione culpabit?* Quæris, *Quid culpem?* Id ipsum quod modò exposui: multiplicem inquam illam orationis tuæ falsitatem. Quæris item, quo jure id faciam? Nempe jure hujus clarissimæ veritatis, quòd non nisi unicus modus est applicandi electis (nimirum adultis) sanguinem Christi, videlicet per fidem. Interim non nego, actiones sacramentales (qualis erat illa sanguinis pecuini aspergio: & qualis hodie est sacri panis & sacri vini in cæna Domini perceptio) applicationi huic inservire. Sed tum demum inserviunt, quum spiritus sanctus per illas est efficax, confirmando scilicet fidem electorum.

Pergis,

Pergis, & dicis: *Quæ pagina 13. & 14. interspergit, supra sunt discussa.* Respondeo: Et à me itidem *suprà discussa sunt, quæ tu ad discutendum atque excutiendum mea attulisti.*

C A P. X X V. *Cujus authoris sit illa synecdoche quam Piscator impugnavit: & reprehensionis Hofmannianæ inconstantia.*

**D**Einceps accedis ad reprehensionem pagine libelli mei decimæ quintæ: quam reprehensionem sic ordiris. *Pagina verò 15. synecdo-* Pag. 77.  
*chen integri (ut vocat) hoc est, Lutheri & Philippi sententiam: qui in hac locutione, Hoc est corpus meum, synecdochen statuerunt: exhibilat.*

Primò innuis, me synecdochen quam in ista pagina refutandam suscepi, non rectè vocare synecdochen integri. At ex fideli sententiæ illorum contra quos ibi disputo, relatione, & ipsa synecdoches integri definitione clarù sit, me synecdochen istorum rectè synecdochen integri nominasse. Id quod ex hoc syllogismo patebit:

*Quum integrum nominatur, & membrum intelligitur, synecdoche integri est.*

*Atqui quum Christus dixit, Hoc est corpus meum: secundùm Doctorem Andrea & illius sectatores, per pronomèn Hoc nominatur integrum (videlicet quiddam ex pane illo & ex corpore Christi compositum) & intelligitur corpus Christi, videlicet compositi illius altera pars. Secus enim non esset enunciatio identica: qualem ille statuebat.*



*Ergo cūm Christus dixit, Hoc est corpus meum: secundum Doctorem Andrea & illius sectatores, usus est Synecdoche integri.*

Secundó ex dictis jam intelligis, me in illa pagina impugnare sententiam Doctoris Andreae. Itaq; tu temeré suspicaris, mihi illic fuisse propositū exhibilare sententiā Lutheri & Philippi. Neque tu hīc tibi constas. Vides enim (si modo videre velis) me hīc oppugnare synecdochen quæ est tropus: at tu Lutheri & Philippi synecdochen tropū esse, jam bis negasti: videlicet pag. 37. & 72. Quomodo igitur nunc affirmas, me exhibilare sententiā illorum, quatenus synecdochen quæ est tropus, oppugno? Et nihil cōcludit tua collectio: qua ex eo quod illi synecdochen in hac locutione, *Hoc est corpus meum*, statuerunt: colligis, me dū synecdochen refuto, sententiam illorum exhibilare. At a generis affirmatione ad affirmationē speciei consequentia non valet. neq; enim si Lutherus & Philippus synecdochen statuerunt: sequitur statuisse illam synecdochen quam ego hīc refutare institui. Præterea nimis atroci & criminoso verbo uteris, quum dicis, me sententiam Lutheri & Philippi *exhibilare*. Ego veró candidos lectores rogatos volo, ut totum illum locū inspiciant: confido, eos ne minimam quidem irrisionis ac petulantis contemptus significationem in verbis meis animadverturos. Sed convitiari, Hofmanno familiare est.

CAP. XXVI. *Præsentia corporis Christi in pane  
realis atq; invisibilis refellitur.*

SEquitur. Ac ne sine rationibus agere videatur: sub- Pag. 77.  
jicit, falsum esse, corpus Christi in pane Eucharistico  
latere: quia nulla id ratione probari possit. Atqui si ca-  
lumniam localis inclusionis rejeceris: & præsentiam in-  
visibilem, itaq; latente intellexeris: verba Christi adeo  
promte id largiuntur, ut etiã Calvinus docere non dubi-  
tarit, panem esse tesserã præsentia corporis Christi, &c.

Primum nego esse calumniam, & dico ve-  
rum esse crimen, quum vobis objicitur, quod  
statuatis, corpus Christi in pane Eucharistico  
latere. Canitis enim expressè in vestris Ecclesiis  
clausulã illã, *verborgen im brot so klein*. Nec licet  
tibi effugere hoc crimẽ, si pro latente illa cor-  
poris Christi in pane præsentia appelles præ-  
sentiam invisibilem. nam invisibilis præsentia  
vel maximè latens est. quanquam fieri potest ut  
lateat nec conspiciatur, qui tamen interim visi-  
bilis est ac manet: atq; etiam videretur, si ope-  
rimentum sive integumentum sub quo latet,  
removeretur. At ubi tu ex verbo Dei didicisti,  
corpus Christi uspiam esse præsens substantia-  
liter seu realiter, & tamen invisibiliter? Potest  
quidem alicubi esse realiter, & tamen latere: ut  
nunc est realiter in cœlo, & tamen nos latet, id  
est, a nobis non conspicitur. at invisibiliter nus-  
quam est, nec esse potest. Quare tu latente præ-  
sentia corporis Christi in invisibilem commu-  
tando, sententiã illam non modo non meliorẽ,  
sed etiam deteriorẽ reddidisti. Quanquam in  
pane tã parvulo ut lateat, magnitudo corporis

Christi non patitur. Ut autem alicubi sit invisibiliter, non patitur corporis veritas. Et certé ex hac essentiali atq; inseparabili corporis humani proprietate, visibilitate inquam, de præsentia sui corporis Christus ipse judicare nos docuit, saltem ex parte: nam adhibuit quoque alterum *κρίτηριον*, videlicet á palpabilitate. Quum enim, ut Lucas capite ultimo narrat, post resurrectionem suam dominus Apostolis appareret: illi autem ex eo quód sibi persuaserant, corpus ejus adhuc jacere in sepulchro, putarent se videre non ipsum Domini corpus, sed spectrum, quod inanem illius similitudinem mentirerur, ipsorumq; oculos perstringeret: Dominus hanc falsam opinionem illius exemturus, & corpus suum veré coram ipsis præsens esse demonstraturus, quid facit? *Palpate*, inquit, *& videte. Spiritus enim carnem & ossa non habet: sicut me videtis habere.* In hac simplici doctrina de præsentia corporis Christi judicanda Christianis acquiescendú est: figmento illo præsentia invisibilis longúm valere jussó. Falsum igitur confidenter affirmas, quum dicis, verba Christi, invisibilem illam ac latentem corporis Christi in pane præsentia promté largiri. Quód autem Calvinus docuit, panem esse tesseram præsentia corporis Christi: id non intellexit de præsentia illius reali seu substantiali in pane: sed de vi spirituali: sicut supra vidimus. Quód autem dicis, modum præsentia semper in mysterio declinandum, id nec simpliciter verum est, nec abs te fit. nam & tu mo-



tu modum (quanquam falsum) definis: dum statuis præsentiam corporis Christi, *cum pane realem seu substantialem*: & modus verus est Scriptura est cognoscendus: qui modus est spiritalis & in fidei perceptione positus: sicut alibi fusiùs dictum est. Nec assentitur tibi (quod equidem sciam) Calvinus, quòd corpus Christi cum pane præsens esse dicatur, quãdo Christus dicit, Hoc est corpus meum. Sed dicit, panem esse symbolum quo res exhibetur: atque illud postea declarat de exhibitione ac perceptione spiritali. Tandem syntheseos Cameronii mentione facta (de qua fateor mihi nihil constare) absque ulla justa causa, ex mera cavillandi libidine, sycophantiæ me insimulas: nec animadvertis, te tum hîc tum passim per totum librum petulantissimis sycophantiis atque convitiis famam meam lædere conari. Sed memento, τὸ διαβόλει τὸ διαβόλησθαι, nec hominem Christianum, ac minimè omnium doctorem Theologiæ decere.

Verùm enimvero de ista reali & tamen invisibili corporis Christi præsentia ais, sacra Scripturæ testimonia & exempla vobis esse in promptu. Quin igitur promis? Item negas à nostris adhuc demonstratam esse impossibilitatem multipræsentia corporis Christi. At, inquam, illa demonstratur ex immoto discrimine quod est inter essentiam finitam & infinitam. Omnis enim finita essentia uno tempore uno tantùm in loco est: at corpus Christi esse essentiam finitam, si quis neget, is nomen

hominis Christiani tueri nequit. negaret enim quod omnes veri Christiani profitentur, Christum verum hominem esse, nobis similem per omnia, solo peccato excepto.

At possibilem esse multipræsentiam corporis Christi, de illo ais tibi suppetere argumenta, et si simplicius credenda foret: atq; illa argumenta in tertia tua de sacra cœnæ disputatione esse indicata. Equidem disputationem illam tuam non vidi; ac proinde me latet quænam illa argumenta tua sint. Interim nego simplicitatis Christianæ esse, dogma istud credere: quippe quod non solum Scripturæ testimoniis destituitur, sed etiam illis ex diametro adversatur. Porrò falsum crimen doctoribus nostris impingis: quum dicis, *eos tantam sibi sumere auctoritatem, ut si modò dicant quod non sit vel non esse possit, et si dicta nullo modo stabiliant, expedit aut tamen velint disputationem & immotam decisionem.* An hoc crimen verum sit: judicent boni viri, qui scripta nostrorum legerunt.

De particula *Hoc*, ad solum panem referenda, fateris rectè a me moneri. Sed operæpretium facies, si hoc ipsum persuadere conaberis symmystæ illi tuo, qui nuper bene crassum librum de sacramentis in lucem edidit. Is enim tradit, *Cum Christus ait: Accipite, edite, Hoc est corpus meum, sensum hunc esse: Hoc quod vobis mediante visibili pane manducandum dispono, verè est corpus meum.* Sed ais, *Vos interim disertè profiteri, cum illo pane esse unitum corpus Christi, idq; hac oratione, Hoc est corpus meum, indicari.* At, inquam, si in-

si indicatur: indicatur aut expressé, aut per consequentiam. At neutro modo indicatur. Non expressé Neq; enim Christus dixit, Cum hoc pane unitum est corpus meum. Nec per consequentiam. Etenim ex ista enunciatione, *Panis hic est corpus Christi*: nullo syllogismo (qui quidem & legitimus sit, & ex utraque præmissa vera constet) concludi potest hæc, *Cum hoc pane unitum est corpus Christi*. Experiatur Hofmannus, si libet.

CAP. XXVII. *Quæ contra metaphoram à Piscatore disputata sunt, vindicantur & amplius declarantur: & calumnia de dissensione Piscatoris cum symmystis diluuntur.*

POSTREMÓ cavillatur ea quæ pagina 17. libelli mei disputavi contra metaphoram. Ac primúm ait, me sociorum meorum Sacramentarium Calvinianorum metaphoram sugillare. Quód viros pios ac doctos nominat Sacramentarios Calvinianos: id facit suo more, nempe more petulantis convitiatoris. Quod autem dicit, me illorum metaphoram sugillare: mihi privatim convitiatur.

At convitium hoc falsum est. Sugillare enim is demum veré ac jure dicitur, qui alterius dicta aut facta testé simul ac maligné reprehendit. At ego doctrinam illam de metaphora reprehendo candidé & aperté: ut omnes candidi lectores judicabunt. Nec veré



igitur nec jure dicor metaphoram istam fugil-  
lare. Deinde ait, me hic sponte largiri quod  
suprà concedere noluerim: nempe *metonymi-*  
*am signi & signati, tanquam fundamento niti simili-*  
*tudine quam signa cum rebus habeant.* Ego verò, in-  
quam, nunquam hoc negavi. Quare fallò hic  
inconstantia & contradictionis arguor.

Pag. 79.

Tertiò tanquam verissimum accipi, quòd  
tradam locutionem non congruere cum ea  
quæ est Johan. 6. videlicet *Caro meaverè est cibus.*  
Sanè nego congruere, quòd ad loquendi mo-  
dum & ad ipsam tropi speciem attinet. Etenim  
in illa enunciatione Joh. 6. judico esse prædi-  
cationem metaphoricam: at in sacramentali  
hac, *Panis cœna est corpus Christi*, statuo prædica-  
tionem metonymicam.

At Hofmannus dissimilitudinis istius alie-  
nam causam exponit, quum ait: *In sacramentali*  
*ista locutione intelligi panem materialem: in altera*  
*verò quæ extat Johan. 6. panem metaphoricum.* Est  
quidem hoc verum: sed in hoc non consistit  
causa, cur duæ istæ locutiones inter se dissimi-  
les sint. nam si hæc causa dissimilitudinis esset,  
oporteret vocabulum *panis* utrobique esse præ-  
dicatum: quod tamen in locutione illa sacra-  
mentali subjectum est. Vera autem ac genuina  
ratio dissimilitudinis illius est in affectione  
subjecti ad prædicatum. nam Johan. 6. *caro*  
*Christi ad panem refertur ut ad rem similem:*  
*at in institutione cœnæ, panis refertur ad cor-*  
*pus Christi, ut ad rem significatam.*

Quartò malè mihi ob hanc doctrinam omi-  
natur,

natur: quasi futurum sit ut non possim cum sociis super hac re convenire: sed tanquam hostis malè acceptus, transactionem non impetrem, nisi per *παλιωδῆαν*, id quod se metuerè asseverat. At ego Hofmanni securum te esse jubeo: ut qui ipse à sociis ob hanc doctrinam, non solum nihil hostile, sed ne minimam quidem offensionculam metuam. neq; enim ullam justam metuendi causam video.

Quinto *ἡ ἀπόδειξις* deducit ex traditis hoc enthymema: quod *metaphora ex enunciatione illa sacramentali explosa, multo minus locus esse queat metonymia*. Sed quum hujus enthymematis nulla consequentia appareat, nec ab Hofmanno indicetur: satis est consequentiam illius negare. Si excipiat, alibi id à se factum: nempe quum admonuit, metaphoram habere locum etiam in verbis, atq; adeo in verbo substantivo quando fungitur officio copulæ in enunciato, at metonymiam in solis nominibus locum habere: recordetur, à me esse ostensum, in verbo illo substantivo nullum tropum consistere posse, præter ironiam, ac proinde hinc parem esse rationem metaphoræ & metonymiæ: ut dici verè non possit, si nõ sit locus metaphoræ, multo minus metonymiæ locum fore. Imo quod ad copulam quidem attinet, utrique illi tropo æquè non est locus tum in enunciato illo sacramentali, tum in quovis alio. Recordetur etiam, me exemplis demonstrasse, in aliis quidem verbis, præter substantivum, tam metonymiam quàm metaphoram locum habere.

Et si non nego metaphoram quàm metonymiam, in verbis frequentiorè atq; usitatorè esse.

Sextò iterum malè mihi ominatur: *ut qui gravius bellum sociorum in me concitem: cùm contra ipsos decernam, in verbis Domini, de quibus pugnatur, non esse quæstionem de corpore Domini, quorsum proficit. At ego, Hofmanne, ne hîc quidem quicquam offensionis ab ullis candidis æstimatoribus meo- rum sunt consideraturi: non autem ut tu hoc loco sophisticè facis, particulam excerpturi: quam nudè spectatam in promptu sit reprehendere. Inspiciatur ergo pagina libelli mei 17. & cõsideretur quid dixerim. Dixi non esse hîc (nempe in hac enunciatione, Hoc est corpus meum) quæstionem de corpore Domini, quorsum illud nobis proficit: sicut Joh. 6. ubi Christus ait, Carnem suam verè esse panem seu cibum. Ex hac antithesi apparet, me non simpliciter negasse, quin etiam in enunciatione illa sacramentali mentio continetur fructus quem ex corpore Domini percipimus: sed me nihil aliud voluisse, quàm ad quæstionem illam, Quorsum prodest nobis corpus Christi: non posse aptè responderi per hoc enunciatum, Panis sacrae cœnæ est corpus Christi: quippe cùm illic non quærat de pane. Ad illam autem quæstionem aptè responderi posse: Corpus Christi est nobis cibus vitæ æternæ, ut Christus Joh. 6. docet. Deinde idem adhuc magis liquet ex antithesi altera, quam illic subjungo his verbis: *Sed quæstio hîc est de pane Eucharistico, quorsum ille nobis à Domino institutus**



atq; ordinatus sit, nempe in sacramentum corporis  
 ipsius, An non hinc expressè dico, panem sa-  
 cræ Cœnæ nobis ordinatum esse in sacra-  
 mentum corporis Christi? quomodo igitur  
 calumniaris, quasi simpliciter negassem, verbis  
 illis Domini doceri, quorsum nobis prodest  
 Christi corpus? nã certè si panis ille nobis ordi-  
 nat<sup>us</sup> est in sacramentū illius: docemur ergo, il-  
 lud nobis prodesse plurimū, quippe quo parta  
 sit nobis Dei gratia, sicut sacramentum hoc te-  
 statur. At interim quod attinet ad hanc quæsti-  
 onem, Quorsum nobis prodest corp<sup>us</sup> Christi:  
 non potest certè aptè ad illam responderi per  
 hoc enunciatum, Panis sacræ cœnæ est corpus  
 Christi: sicut aptè responderi potest, Corpus  
 Christi est nobis cibus vitæ æternæ. Ut autem  
 certius judicetur, quodnam enunciatum sit  
 metaphoricum: observandum est, tum de-  
 mum metaphoram rectè statui in prædicato,  
 ac proinde enunciatum metaphoricum esse,  
 quum illud ad primariã intentionem loquētis  
 declarandam verè exponi potest per vocabulū  
*simile*, ita ut metaphoricū enunciatū quo dici-  
 tur hoc esse illud, reduci possit ad propriū, quo  
 dicatur hoc esse illi simile. Hoc autè tum demū  
 fit, quū per prædicatū significatur ea res cui tā-  
 quā similis cōparatur res significata per subje-  
 ctū, ut, *Herodes est vulpes*: enunciatur metapho-  
 ricum est: quia reducitur ad hoc propriū, He-  
 rodes est similis vulpi, nempe quoad astutiã. Et  
 per nomen *Vulpes* (quod illius enunciati prædi-  
 catum est) significatur ea res cui tanquā similis

comparatur res significata per illius enunciati  
 subjectum, videlicet ipse Herodes. Denique  
 istud enunciatum *Caro Christi veré est cibus*, ideo  
 metaphoricum est: quia intentio pronuntiatis  
 est, quód caro Christi cibo sit similis: enuncia-  
 tum veró illud sacramentale, *Panis sacra Cæna est*  
*corpus Christi*, ideo metaphoricum non est, quia  
 intentio pronunciantis non est, quód panis sa-  
 cre cæne corpori Christi sit similis: sed est met-  
 onymicum, quia intentio pronunciantis est,  
 quód panis ille sit corporis Christi sacramen-  
 tum. Neque tamen interim negatur, metony-  
 miam illam in similitudine fundari. Quod si  
 cui tamen propter illam similitudinem videat-  
 tur, enunciatum istud metaphoricum esse: fa-  
 tendum erit, duos híc tropos concurrere (id  
 quod impossibile non esse, exemplis ostendi  
 potest) videlicet metonymiam & metapho-  
 ram ex quibus tamen metonymia híc sit prin-  
 cipalis, quia primariam intentionem loquen-  
 tis declarat.

Pag. 80. Sexto ait, se non repudiare me hæcenus sibi  
 succenturiantem: quia inter substantiam sa-  
 cramenti & fructum probé distinguendum sit.  
 Quid est Hofmanne, quod dicis, *Piscatorem suc-*  
*centuriantem*? Quem igitur ego succenturio? an  
 me ipsum? at succenturiare ducis erat, succen-  
 turari militum. quos igitur milites censes à  
 me tanquam duce succenturari? num tuos  
 forte discipulos? at si mihi potestas detur illos  
 succenturiandi: non succenturiabo eos vobis,  
 id est tibi tuisq; symmystis; sed mihi meisq; so-  
 ciis

eiis contra vos. Nempe dicere voluisti, me hac in parte vobis contra nostros suffragari, aut suppetias ferre, quatenus negem, verbis illis Domini, *Hoc est corpus meum*, explicari fructum cœnæ. At istud ego non negavi, nec nego: sed tantum monui, quæstionem ad quam istud enunciatum recte possit responderi, non esse hanc, quorsum profit corpus Domini: sed hanc, quorsum ordinatus sit iste panis. Etsi autem inter substantiam sacramenti & fructum distinguendum est: tamen substantia Cœnæ non est ponenda in conjunctione substantiali symbolorum & rerum significatarum: sed in illorum ad has relatione, qua ad eas referuntur, ut divina testimonia: quæ qui cum fide accipit, is substantiam sacrae cœnæ accipit, & fructum inde percipit, videlicet solidam consolationem & Dei proximique dilectionem.

Septimo. Cùm autem pronuntiandum fuerit (ait porro Hofmannus) quorsum panis Eucharisticus nobis ordinatus sit, constanter respuo metonymicum ejus usum. At ego, Hofmanne, convincam te hinc inconstantia. Et enim supra metonymicam meam expositionem, qua testificatio statuitur finis sacrae Cœnæ, reprehendisti tantum *ut insufficientem*: non autem tanto cum animi impetu tantoque oris hiatu respuisti, ut hinc facis.

Sed more tuo huc annectis calumniam: dum metonymicum illum usum vocas *inanisimum*: qui verba dans, rem promissam tollat: quiq; contra omnem eruditionem ineptissima temeritate fingatur.



Quod de inanitate metonymiæ dicis, calumnia est. num enim res inanis tibi videtur, si admoneris, panem illum esse divinū testimonium, quod corpus Christi pro te sit crucifixum? Hæc certè nō est doctrina inanis, nec verba dat, rem promissam interim tollens: imò verò hæc est ipsissima bonorum cælestium promissio: cui qui credit, is (ut Lutherus in Catechismo suo loquitur) habet quod verba illa dicunt, nempe remissionem peccatorum & vitam æternam. Num tu quid desideras amplius? Porro quod de violatâ per istam metonymiam eruditione dicis, de illo mox videbimus in disputatione Questionis tertiæ.

Octavo illi meæ metonymiæ opponis veterem illam tuam ac tritam cantilenam, de conjunctione corporis Christi cum pane, illiusque modo inexplicabili: sed ad hæc jam sæpe responsum est.

Nono criminaris & convitiaris: *Calvinianos multas injurias verbis Christi inferre, dum modum certum speculationis in aëre venentur.* Calviniani id negant: nec tu convitiator criminationem tuam probas.

Postremò ex inhumano & crudeli convitatore subito mutatus, affectum misericordiæ erga miserum Piscatorem induis: *ut qui utrosque (& Lutheranos scilicet & Calvinianos) adversarios sibi delegerit: & modò illorum, modò istorum arma acuat: tantum certamen contra tot tam imprudenter aggressus.* Si verè te mei miseret, gratiam habeo pro affectu charitatis: atque eò magis vicissim

vicissim me miseret tui, quod cum tam bené & humaniter erga me affectus sis, non possim de te bene mereri, veritatem ex verbo Dei tibi persuadendo. Sed hæc res in manu Dei sita est: qui faxit, ut nos verbo ipsius absq; ulla pertinacia in errore semel concepto, & absq; ulla animorum erga nos mutuó acerbitate, dociles & obsequentes præbeamus. Amen.

### DE TERTIA QUÆSTIONE.

In qua voce tropus ille insit.

*Prefatio, in qua author sententiam suam de sede tropi retractat: ac ostendit, tropum (videlicet metonymiam subjecti) non esse in copula, sed in prædicato enunciatorum Eucharistico- rum.*

**Q**uod gladiatori quantumvis strenuo ac perito accidere potest, ut dum præludio aliquo ad congressum cum antagonista pro more sese præparat, ipse sibi vulnusculum infligat: id mihi in hac ad tertium cum meo antagonista congressum præparatione eventurum præsentisco. Etenim quum veritatis amans sim: non possum facere, quin ad propositam hęc quæstionem aliter nunc, quam antè, respondentem me solantur: unum, quod vulnusculum illud non erit lethale: neque enim ista sententiæ mutatio causæ principali quicquam officiet. Alterum, quod confido æquos agonothe-

tas nihilominus victoriam tanquam legitimé ac strenuè certanti mihi decreturos. Tertium, quod ingenuum ac laudabile est, retractare ac mutare sententiam, ubi te errasse senseris. nam ut præclaré Augustinus in præfatione Retractionum suarum scripsit: *Primâ pars prudentiæ est, ne dicamus pœnitenda: secunda est, ut si quid non satis consideratè dixerimus, agamus pœnitentiam.* Quod ipsum Aristoteles quoq; graviter ac vere philosophice in primo Ethicorum ad Nicomachum capite sexto pronunciavit: ubi contra ideas præceptoris Platonis disputaturus, præfatur quæstionē illam lubricā esse, propterea quòd homines amici (intelligit autem Socratem & Platonem) ideas introduxerint. tum subjungit aurea hæc verba: *δόξειε δ' αὖ ἴσως βέλτιον εἶναι, καὶ δεῖν, ὅτι σωτηρία γὰρ τῆς ἀληθείας, καὶ τὰ οἰκεία ἀναρεῖν, ἄλλως τε καὶ φιλοσόφοις ὄντας. ἀμφοῖν γὰρ ἄντων φίλοι, ὅσιον περὶ μὲν τῆς ἀλήθειας.* id est, Videatur autem melius esse, atq; adeò oportere veritatis tuendæ causâ, vel nostra ipsorum placita evertere: præsertim quum philosophi simus. nam quum ambo cara sint (*nimirum & amici & veritas*) sanctum est pretiosiore ducere veritatem. Igitur antequam cum antagonista tertio congregiar: paucis sententiam meam de proposita quæstione retractabo. Putavi autem, tropum esse in ipsa copula: nunc verò sentio, non esse in copula, sed in prædicato. Et ut ita sentiam, necessario argumento moveor: videlicet ipsa tropi definitione. Etenim



*Tropus est, cum verbum á nativa significatione in aliam immutatur.*

*At in duobus illis enuntiatis Eucharisticis, copula á nativa significatione in aliam non immutatur.*

*Ergo in illis enuntiatis non est tropus in copula.*

Propositio extra controversiam est. Assumptionem probo: Quia nativa copulae (nempe verbi substantivi) significatio est, ut sit nota affirmationis. Hanc autem significationem in istis enuntiatis retinet: quippe etiam reducta ad enuntiationes proprias, affirmativa sunt: ut patet.

Deinde eodem argumento ostendo, tropum esse in prædicato: ad hunc modum:

*Cum verbum á nativa significatione in aliam immutatur, tropus est.*

*At in propositorum enuntiatorum prædicatis verbum á nativa significatione in aliam immutatur.*

*Ergo in illorum enuntiatorum prædicatis tropus est.*

Propositio rursus extra controversiam est. Assumptionem probo: Quia in priore per corpus intelligitur signum corporis: in posteriore verò per sanguinem intelligitur signum sanguinis, itemque per fœdus signum fœderis. Id apparet, quum tropica illa enuntiata reducuntur ad propria, nam sicut illud, *Circumcisio est fœdus*, reducitur ad hoc, *Circumcisio est signum fœderis*: ita istud, *Panis Eucharisticus est corpus Christi*, reducitur ad hoc, *Panis Eucharisticus est signum corporis Christi*, item illud, *Vinum Eucharisticum est sanguis Christi*, vel novum illud fœdus, reducitur ad

hoc, Vinum Eucharisticum est signum sanguinis Christi, vel novi illius foederis. Præterea tropum in prædicatis illis esse metonymiam subjecti, sic ostendo.

*Cum subjectum nominatur, & adjunctum intelligitur, metonymia subjecti est.*

*At in illis prædicatis subjectum nominatur (videlicet corpus & sanguis) & adjunctum intelligitur, videlicet corporis & sanguinis signum.*

*Ergo in illis prædicatis metonymia subjecti est.*

Hicce ita præmissis atque retractatis, jam nunc cum antagonista in nomine Domini congregiar.

*CAP. I. Argumentum Piscatoris quod attulerat pro tropo in copula, discutitur: itémque reprehensiones Hofmanni contra illud allatae examinantur.*

**A**Ntagonista ad reprehensionem sequentium transiturus, primò omnium auditores suos atque lectores admonet de præcedentium mearum demonstrationum vanitate, ex iis quæ ipse opposuit, æstimanda. Sed ego vicissim lectorem meum moneo, ut recordetur eorum quæ hæctenus à me contra sophismata ab adversario opposita, sunt disputata. Porro ad quæstionem hîc propositam, respōdi: Metonymiam inesse in verbo substantivo *EST*: idque sic probare institui:

*Metonymia illa est aut in propositionis illius subjecto, aut in predicato, aut in copula.*

*At nec in subiecto, nec in predicato est.*

*Est igitur in copula, nempe verbo illo substantivo Est.*

Antequam accedam ad considerandam reprehensionem adversarii, prius ipse me reprehendo: ac fateor me falsum conclusisse ex falso, nempe ex Minore præmissa falsa: Etenim metonymia non est in copula, sed in prædicato, ut pauló anté ostendi. Sed Hofmannus Minore concessa, fallitatis reprehendit Majorem: eó quód non possit idoneus auctor appellari unus, Pag. 81. & 82. qui copulam inter partes enuntiationis recensens, eam faciat  $\kappa\epsilon\iota\mu\epsilon\nu\beta\omicron\ \pi$ . Copulam autem esse  $\sigma\upsilon\nu\kappa\epsilon\iota\mu\epsilon\nu\omicron\nu\omicron$ , videlicet  $\sigma\upsilon\nu\kappa\alpha\lambda\iota\sigma\tau\omicron\pi\epsilon\upsilon\epsilon\upsilon\omicron\nu$ : ut quæ ipsa rem nullam significet, sed tantúm adsignificet conjunctionem quandam. Nec Ramus copulam pro argumento, ac proinde nec pro parte enuntiatæ agnoscit. unde concludit Hofmannus, quód copula tropum non possit sustinere sola: ad quod confirmandum ipsam tropi definitionem accersit. Tandem argumentum quoque petit ex censura (quam sic appellat) prædicationum: Pag. 81. ex quibus quæ propria sint, æstimantur ex prædicati ad subiectum relatione: quæ ipsa fundetur in significatione prædicati: unde concludit in oppositis tropicis (ad quas nimirum propriæ reducuntur) *isidem in sedibus contineri tropum, in quibus proprietates residebat.* Postremó ad hoc confirmandum adhibet sententiam Aristotelis & quorúdam veterú Ecclesiæ patrú de homonymis. Hæc summa est eorú quæ Hofmannus pauló fusiús descripsit pag. 82. & 83. fideliter ex illius verbis excerpta. In quib. nonnulla ut eruditè disputata approbo & laudo: nō tamē omnia. Nā primúm



et si copula non est κείμενήν π, ut nominat Aristoteles; sive argumentum, ut Ramus appellat: tamen non ideo desinit esse enuntiati pars. Etenim enuntiatum quum quiddam compositum sit, constabit e sua materia & e sua forma. Ac materia quidem enuntiati est in illis κείμενις sive argumentis, subiecto scilicet & prædicato (de simplici enim enuntiato nunc propriè sermo est) at forma est in verbo substantivo, quod vulgus copulam, Ramus vinculum nominat. Etenim per hoc vinculum enuntiatum simplex est id quod est: unde etiam per ipsum a Ramo definitur, *Quod vinculo verbi* (nempe substantivi) *continetur*. Deinde non placet copulam appellari συγκατηγορέμενον, quasi dicas comprædicatum. Etenim ipsa copula & κληγορεΐται, non prædicatur: ergo nec συγκατηγορεΐται. Sed est instrumentum cuius interventu prædicatum cum subiecto copulatur seu componitur, deque illo prædicatur. Nec potiore jure copula appellari poterit συγκατηγορέμενον, quàm συνοποκείμενον. Et si enim ex naturali sermonis ordine ipsi subiecto succedat, ut de illo videatur prædicari: tamen ex eodem ordine ante prædicatum antecedit, ut pari ratione prædicatum de ipso videatur prædicari. attamen horum neutrum fit: sed copula inter subiectum & prædicatum interjacens, æquali affinitatis jure utrumque attingit: & nec ipsa de altero, nec alterum de ipsa, sed per ipsam alterum de altero prædicatur.

Tertió, non satisfacit illud Hofmanni enthymema;

thymema : Si copula non significat rem : quomodo tropum sustinebit sola? Nam plus concluditur, quam sequatur ex præmissis. quippe integer syllogismus sic erit:

*Si copula non significat rem, non poterit sustinere tropum. Per tropum enim res alia ex nomine alterius significatur.*

*At copula non significat rem.*

*Ergo non poterit sustinere tropum.*

Ex illis præmissis plus non sequitur. quare vitiosè in conclusione adjecta est particula sola. Deinde sententia hæc falsa est, & ex falso argumento conclusa. Etsi enim copula non significat rem extra intellectum: tamen significat rem in intellectu, videlicet affirmationem, quam Aristoteles *σύνθεσιν* nominat, quæ ait copulam *σύνθεσιν αὐθροῦν πνα*, ad significare compositionem quandam: videlicet compositionem illam Logicam prædicati cum subjecto, quæ propriè & usitatè nominatur affirmatio. Jam verò accidit ut ex verbo significante affirmationem, videlicet ipsa copula, interdum intelligenda sit negatio: id quod fit in illis enuntiatis ironicis, ubi ironia in contradicentibus est: puta si quis aliquid affirmet, & tamen intelligat negationem. Cujus generis videntur esse enuntiata illa Pauli 1. Cor. 4. v. 8. *Jam saturati estis, jam ditati estis, absque nobis regnum adepti estis.* Intelligit enim contrarium: videlicet eos nondum esse saturatos ac ditatos eximia cognitione Dei, necdum regnum adeptos. quam negationem ipsemet mox signi-

ficat, quum subjungit istud votum: *Atque uti-  
nam sané regnetis: ut & nos simul vobiscum regnemus.*  
Ex his claré perspicitur, tropum cadere quo-  
que in copulam: sed nullum tamen præter ironi-  
am: quoniam per hanc solam copula à natu-  
ra significatione in aliam (videlicet contra-  
riam) immutatur: quatenus ex affirmatione  
negatio significatur atque intelligitur. Quòd  
autem Hofmannus ait, *tropum in copula non posse  
dari, quoniam ibi non sit λόγος & τῆς ἐπίσης* seu rei allu-  
cujus ratio: ex iis quæ dixi, liquet contrarium:  
quum etiã copulæ sit suus λόγος & τῆς ἐπίσης, nem-  
pe quòd est nota affirmationis.

Pag. 84.

CAP. II. Argumenta Hofmanni contra copu-  
la metonymiam allata examinantur.

**I**STIS ita in genere contra tropum in copu-  
la disputatis, deinceps disputat in specie  
contra copulæ metonymiam. Sic autem argu-  
mentatur:

*Metonymia, est tantum in nomine: non in verbo.*

*At copula non est nomen, sed verbum.*

*Ergo in copula non potest esse metonymia.*

Verum quidem concludit, sed ex falso. Fal-  
sa enim est propositio: quum reperiantur me-  
tonymia etiam in verbis: quanquam non in  
verbo substantivo. Verum enim verò in copu-  
la propositorum enuntiatorum, *Panis Cæne est  
corpus Christi, Vinum Cæne est sanguis Christi:* non  
esse tropum, & per consequens nec metony-  
miam, sic est demonstrandum.

*Ubi tropus est, ibi mutatur verbum à significatione  
nativa in alienam.*



At in illis enuntiatis verbum substantivum EST, ipsa videlicet copula, non mutatur á nativa significatione in alienam. quia enuntiata illa ad proprias locutiones reduéta, affirmativa manet.

Ergo in illorum enuntiatorum copula non est tropus, & per consequens nec metonymia.

Potró argumētum quod ad syllogismi pauló anté propositi Majorem confirmandam adfert Hofmannus, infirmum est, videlicet á notatione, quód scilicet Metonymia sit nominis pro nomine positio. Est quippe dicta μετανομία Pag. 84. quasi μεταβολή ὀνόματος, mutatio nominis. At appellatio illa ex frequentiore, non autem ex perpetuo illius tropi usu ducta est: quum usus ejus etiam in verbis sit; ut suprá exemplis demonstravi.

Quód autem dicit, me metonymiam quam in verbis Domini statuo, appellavisse metonymiam adjuncti: velim mihi ostendi locum ubi id fecerim. neque enim memini. Imó contrá appellavi metonymiam subiecti, pag. 5. libellí mei, linea ultima.

Deinceps gratias mihi agit, quód predicatum statuum proprié accipi de corpore Christi, idque agnoscam planum esse ex verbis, Quod pro vobis traditur. Sed ignoscat mihi Hofmannus, quód malé datum, justé repeto: atq; ita gratiarum actionis & gaudii materiam ei aufero. Video enim nunc, clausulá illá non obstare, quó minús metonymia sit in predicato. Intelligitur enim per predicatū, Corpus Christi, signū corporis Christi, quod (népe corpus, non auté signū corporis).

pro nobis est traditum. Nec voluit Christus illa clausula distinguere verum suum corpus a non-vero: quoniam discipulis constabat, illum non nisi unum corpus habere, idq; verum: sed voluit indicare respectum qui per panem illum fractum de suo corpore significetur, videlicet, quod corpus suum pro nobis sit traditum in mortem, & quasi fractum ad expiandum nostra peccata. hoc enim illud est quod panis ille fractus nobis testatur.

CAP. III. *Alie reprehensiones Hofmanni contra metonymiam Piscatoris allata discutuntur, & ad syllogismum eius responderur.*

**D**EINCEPS metonymiam quam ego cum nostris (quos iste suo more Sacramentarios nominat) in verbis Domini statuo, vehementer oppugnat: sed per falsum crimen quod mihi impingit: quasi nimirum ego scripserim, aut quasi ex iis quæ scripsi, sequatur: *Metonymiam esse sensum quo panis propriè dictus, dicatur esse corpus Christi propriè dictum. item, Metonymiam esse sensum predicandi.* At horum ego neutrum scripsi: & neutrum ex iis quæ scripsi, sequitur. Sic enim scripsi: *Questionem hinc esse, quomodo seu quo sensu panis propriè dictus, dicatur esse corpus Christi propriè dictum: nempe non propriè loquendo, sed per tropum metonymiam: quia nimirum significet corpus Christi sive signum illius sit.* Quæro jam ex te Hofmannè: *Quum audis hanc enunciationem, Panis sacra Cœnæ est corpus Christi: an non statim cogites*

Pag. 85.

Pag. 19 li-  
belli mei.

gites de illius sensu? quo modo scilicet seu quo sensu panis ille dicatur esse corpus Christi? propriè loquendo an impropiè? at unde hunc sensum æstimabis? nonne ex relatione quæ est inter subiectum & prædicatum? ut cõsideres nimirum, quomodo se habeat unum ad alterum. Certè paulò ante ipse tradidisti, *proprias prædicationes resultare ex prædicati relatione.* Pag. 83.  
*ne.* utiq; ex relatione prædicati ad subiectum, & vicissim. Quod si propriæ prædicationes resultant ex relatione prædicati ad subiectum, sequitur idem fieri in tropicis. Contrariorum enim eadem est ratio, nam ut certa argumenta sunt, ex quibus nascuntur enuntiationes propriæ: ita etiam certa argumenta sunt, ex quibus nascuntur enuntiationes tropicæ: quatenus quidem unum dicitur esse alterum. Verbi gratia si sub illa forma loquendi inter se disponantur species & genus, ut *homo & animal*: nascetur inde enuntiatio propria, *Homo est animal*. Si verò sub eadem loquendi forma disponantur disparata, ut *homo & lupus*: nascetur inde enuntiatio tropica, *Homo est lupus*: ut quum pro uerbo dicitur, *Homo homini est lupus*. Ex istis liquet, Hofmannum hoc loco rectè à me dicta, sophisticè pervertisse, & in alium sensum detorsisse: quippe quum ipsemet alibi eadem aut certè his consentanea tradat, ut ostendi.

Sed pergit & urget me his verbis: *Monstret* Pag. 85.  
*idem, quomodo sensus prædicandi sit tropicus, nulla substantiali parte, qua prædicationem constituat, tropum sustinente.* At, inquam, tropum sustinet



prædicatum; ut pauló anté ostendi. Sustinetur  
igitur illum pars enuntiati substantialis. Atque  
adéo si tropum illum sustineret copula: itidem  
sustineret eum pars enuntiati substantialis, &  
quidem ea ipsa quæ prædicationem constituit  
principaliter, nempe ut forma: sicut pauló an-  
té declaravimus.

Tandem tropum omnem, atque ita etiam  
metonymiam, ex propositis enuntiatis sacra-  
mentalibus protus profligare conatur hoc  
syllogismo:

Pag. 86. *Si in datis prædicationibus sacramentalibus tropum  
est: tum vel in subjecto vel in prædicato ut sit ne-  
cesse est.*

*Sed nec in subjecto nec in prædicato est.*

*Ergo tropus in istis enuntiationibus nullus est.*

Ego syllogismi istius propositionem conce-  
do: sed non simpliciter, verúm ex hypothesi:  
quatenus nimirum constat, sacramentales i-  
stas enuntiationes de quibus inter nos contro-  
versia est, non esse ironicas. Quod si istud con-  
nexum fulciatur hac hypothesi, qua statuitur,  
in quovis tropico enūtiato tropum vel in sub-  
jecto esse vel in prædicato: istius sententiæ fal-  
situdinem ostendi supra exemplo prædicationum  
ironicarum: quippe in quibus contingit tro-  
pū sustineri á copula. Quare provocatio Hof-  
mãni qua hoc loco provocat ad iudicia omnium  
Dialecticorum qui á tempore Aristotelis usq; ad  
Cinglium (ut ille hunc Dei servum nominat)  
vixerunt: item ad Ramum & omnes genuinos  
ejus discipulos: hæc, inquam, provocatio atq;  
appellatio

appellatio nihil eum juvabit: si modó illi (ut philosophos decet) ex manifesta rei veritate volét judicare. Sed τὸ κρινόμενον hic est in assumptione: quam ego simpliciter nego, & contra affirmo, tropum esse in prædicato. Verúm ad illam confirmandam, & tropum á prædicato removendum, rursus affertur declaratio Christi: nimirú verba illa annexa, *Quod pro vobis traditur*. At ego jam semel atq; iterú ostēdi, verbis illis metonymiá prædicati non impediri aut everti.

Postea repetit argumentú jam sepe á me refutatú, de modo prædicationis mystico: verumtamen cum auctario fundamenti Aristotelici quo illud argumentú fulcit: nempe *quód non sit faciendus saltus á disciplina in disciplinã*, ut hoc loco haud inscité loquitur Hofmannus: quod apud Aristotelé dicitur μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, id est, trāsire in aliud genus. At, inquam, metonymia quã ego defendo, non facit talé saltú: quia nititur disciplina Theologica de Sacramētis. Neq; in aliã disciplinam saltú facit: qui artes illas omnib. disciplinis realib. cōmunes, Grammaticam dico, Dialecticã & Rhetoricam, ad disciplinã Theologicã declarandã atq; illustrãdam cōvenienter adhibet. id quod in propositis de sacra Domini cœna sentētiis per metonymiam illam fieri, periti utriusq; disciplinæ, & Theologiae, in quã, & Rhetoricæ, facilé vident, & de hac cœlestis veritatis illustratione lætantur.

Conatur deinceps reprehendere Hofmannus quod monui ac declaravi de æquipollentia harum phrasum, *Panis significat corpus Christi*,

& Panis est signum corporis Christi: sed nullū protus reprehensionis argumentum affert. tantum cavillatur, me hoc contendere contra quendam amicum: in quo tamē fallæ suspitioni indulget. nam ego probé memini, amicum illum quum ista scriberem, in mentem mihi non venisse: sed istam æquipollentiam opposui calumniæ Lutheri in Magna Confessione: ubi ex ista expositionis diversitate Zvinglium & OEcolumpādium inter sese de sensu verborum Domini dissentire arguit.

Præterea ex eo quod concedo, tropum poni posse in prædicato: arguit Hofmannus, me aliquatenus contra Christum pugnare. Sed istud crimen jam semel atque iterum dilui: neque enim contra Christum pugnat, qui verba ejus sic exponit, quòd panis ille sit signum corporis ipsius, quod corpus (corpus inquam Christi, non panis) pro nobis est traditum, & quidem quatenus pro nobis est traditum.

Adhæc levitatem mihi objicit, quòd dico rem eodem redire: sive scilicet tropus ponatur in copula, & EST exponatur per *Significat*: sive in prædicato, & Corpus exponatur per *signum corporis*. Sed levitatis nullum argumentum ostendit. Quin potius constanter hic repeto, quod paulò antè aliis verbis dixi, nempe expositiones istas æquipollere. Nec verum est, quòd hic ad levitatem illam ostendam affert Hofmannus, prædicatum per metonymiam illam destrui: eò quòd tollatur ejus definitio: id quod omnino fiat tropo in aliqua voce



voce concesso. At, inquam, Hofmanne, hæc omnia falsa sunt. Et ut postremam sententiam quam pro cæterarum fundamēto affers, *ἡρώδης* refellam: tu certè tropum concedis in hujus enuntiati prædicato, *Herodes est vulpes*. at num propterea concedes, te tollere prædicati hujus definitionem? Non opinor. Sed potius ex vulpis definitione ac natura investigabis causam, cur Herodini nomen vulpis tribuatur. Jam fundamento illius demonstrationis sub-  
ruto, ipsam quoque corruere necesse est. Ne-  
go igitur, prædicatum per metonymiam de-  
strui aut definitionem ejus tolli: quin potius ex illius ratione investigo, cur panis ille corpus Christi esse dicatur: nempe quia illius fractio-  
nem fractione sui repræsentet, & illud quate-  
nus pro nobis fractum est in cruce, cibum vitæ æternæ nobis effectum esse testetur.

Sed pergit Hofmannus, & reprehendit ver-  
ba quæ præcedentibus proximè subjuncti, in-  
quiens: *Et omnino eadem est ratio prædicationis, quæ est nominationis*. In his autem citandis commit-  
tit fallaciam compositionis & diuisionis gemi-  
nam, unam, quod omittit conjunctionē: quæ  
(ut mox intelligetur) ad verborum meorum  
intelligentiam non parum facit: alteram, eam-  
que *ἡσασθαι*, quod particulam *Omnino* cō-  
jungit cum pronomine *Eadem*: quam tamē ego  
sic posui, ut ex cohærentia sententiarū liqueat,  
particulam illam pertinere ad totam senten-  
tiam. Est enim hæc formula loquendi, quam  
significamus, nos paucis velle concludere atq;

comprehendere cœptam disputationem. tum dicere solemus, *Et omnino*: quasi diceremus, *Et ut uno verbo dicam*: vel, *Et ut paucis comprehendam summam rei*. Non igitur nego omne inter nominationem & prædicationem discrimen: sed tantùm dico, eandem esse utriusque rationem quo ad veritatem. Etenim nomen ideo rectè ac verè rei tribuitur, quia rectè ac verè de re prædicatur: sicut illam identitatis rationem in libello declaravi, & exemplo illustravi.

Fig. 29.

Quod autem excipit Hofmannus, nō omnem nominationem ad exemplum à me propositum fieri, quo nomen *Herculis* tribuitur statuae: quia etiam universalia nominentur; ut *rosa*, *bos*, *homo*, sine applicatione ad individuum, &c. id sententiæ meæ non repugnat: quia hîc quoque eadem est nominationis & prædicationis ratio. Etenim quæ res rectè *rosa* nominatur, de eadem nomen *rosæ* rectè prædicatur; & vicissim.

CAP. IV. Vitium argumentationis Piscatoris pro metonymia copula indicatur: simulq; vitiosus elenchi Hofmanni ostenduntur.

POSTREMO reprehendit quæstionis à me propositæ ac disputatæ conclusionem, his verbis à me comprehensam: *Cum igitur metonymica appellatio pendeat à metonymica prædicatione: prædicatione autem omnis pendeat ab enuntiativæ vinculo: consequens est in metonymica prædicatione metonymiam ipsi vinculo inesse.* Agnosco nunc & fateor, hoc consequens ex illo antecedente seu ex illis præmissis non rectè esse conclusam: sed vitium

tium non est in materia, ut Hofmannus putat: sed in forma: quia cōclusio ista est ἀσυνδυαστός, nec potest ad constantem syllogismum revocari, propter varietatem argumenti seu multipliciter termini medii. Hofmannus verò vitio illo ἀσυνδυαστίας non animadverso: ne irreprehensam relinquat istam argumētationem, negat utramque præmissam: sed quàm iustè, mox apparebit. *Nego, inquit, quòd meronymica* pag. 90. *appellatio pendeat à meronymica predicatione. Nam ut simplicia, naturà sunt priora compositis, & hæc ab illis consequenter dependent: ita equius est, ab appellatione predicationem, quàm illam ab hac pendere.* At, inquam, Hofmanne, hæc ratio nihil ad rem. neque enim nominatio ad predicationem se habet, ut simplex ad compositum (qua hypothefi demonstratio hæc tua nititur) sed habet se ad illam, ut effectum ad causam procreantem. nam causa quæ hominem movet ut rem certo nomine appellet: est, quòd iudicat, nomen istud de illa re verè predicari. Id quod perspicuum evadēt illustrissimis exemplis nominationum quæ narrantur in sacris litteris. Ut, quid movit Adamum, ut mulierem sibi adductam, nominandam iudicaret Ischáh, id est, Viram? Movit eum hoc iudicium axiomaticum, quo iudicavit, Eam verè esse ischáh, id est, viram: quippe quum sit summa me-isch, hoc est, de viro. Idem observare unusquisque potest in aliis exemplis. Nominatio igitur oritur ex predicatione: ac proinde ab ea dependet.



Atq; sic asserta est veritas præmissæ prioris: jam alteram quoque negat, videlicet prædicationem omnem pendere ab enuntiati vinculo: sed tantum negat, idq; multis verbis: negationis autem rationem prorsus nullam affert. Porro sententiæ illius veritas ex eo manifesta est, quod ( ut supra declaravi ) vinculum est enuntiati forma. Quid enim est vinculum, nisi causa cuius vi alterum de altero prædicatur? Quum igitur vinculum sit prædicationis causa: non potest negati, quin prædicatio inde dependeat.

Nec καθόλου verum est quod hic affirmat Hofmannus: *copulam dependere à prædicato, ac proinde ex eodem auferre ἕσις*. Etenim copula non magis dependet à prædicato quam à subiecto: quippe quum ἕσις æqualem ad utrumque habeat, tanquam vinculum amborum.

Quod autem hic præterea affirmat, ἕσις copulæ esse prædicationis formam: id si constanter tueri volet, fatendum quoque ei erit, Copulam esse enuntiati partem: nisi dicere auserit, formam partem rei non esse.

Præterea quod hic ad eruditorum receptissimam censuram provocat: simpliciter & absque cuiusquæ injuria respondeo: non quid receptum, sed quid jure recipiendum sit, philosophum spectare debere. Non autem jure recipitur hæc doctrina qua plures statuuntur formæ prædicationum in enuntiato simplici: quæ propositionem categoricam vulgò nominant. quippe quum non nisi una enuntiatum simplicis forma sit: videlicet cōsequētis de antecedente, seu ( ut vulgò loquuntur ) prædicati

prædicati de subjecto affirmatio per vinculum  
 verbi substantivi. Diversitas enim prædicato-  
 rum non parit diversitatem prædicationum.  
 Itaq; admonitio quam Hofmannus ad junio-  
 res subjungit, falsa est. Falsum quoq; est, quod Pag. 90. &  
91.  
 in illa admonitione dicit, *Verbo EST conferrī cer-  
 tam significationem ex habitudine prædicati ad subje-  
 ctum.* Imò, inquam, quæcumq; & quamcumq;  
 varia sit habitudine prædicati ad subjectum: ver-  
 bum EST, videlicet copula, significationem  
 unam constanter retinet, videlicet significatio-  
 nem affirmandi. Non igitur ex habitudine  
 prædicati ad subjectum significationem cer-  
 tam nanciscitur: sic enim significatio ejus pro  
 habitudine illa varia ac multiplici redderetur  
 ipsa quoque varia & multiplex.

Falsum præterea est crimen illud ignoran-  
 tiæ, quod admodum petulanter & magno cum  
 fastu meique contemptu hinc mihi objicit: quasi  
 scilicet ignorem, *copulam ancillari partibus consti-* Pag. 91.  
*tuentibus prædicationem* ( hoc est, enunciatio-  
 nem ) *videlicet subjecto & prædicato.* Ancillatur  
 sanè illis ut amborum vinculum: sed interim  
 non desinit esse enunciationis pars constitu-  
 ens, nempe pars formalis: quum subjectum  
 & prædicatum sint partes constituentes mate-  
 riales.

Nugatur postea quædam de tropo ex præ- Sub finem  
Pag. 91.  
 dicato in copulam redundante: quæ eadem fa-  
 cilitate à me negantur, qua ab illo affirmantur.  
 Nam quod ibidem arguit copulam non esse  
 partem enunciati, cum non sit ex argumentis

Pag. 91. in  
fine.  
Pag. 92.

prædicationem conficientibus: id supra est refutatum. Inane autem, vel potius immane, convitium est: quod ait, Piscatorem ad refragandum veris sententiis factum esse. Sed longè atrocissimum, quum subjungit, *me declaravi Christi adversari: ac monet, ut potius cedam, quam ut Christi antagonista, qualis deprehensus sum, maneam.* Quæso te, Christiane lector: quid est immaniter atque atrociter convitari, si hoc non est? Sed deposito odio Hofmannæ (qui enim non odisses antagonistam Christi) placidè & in timore Domini considera, quæ ego de viac sensu illius toties jam à te objectæ declarationis Christi, semel atq; iterum expositi: & videbis, si modò videre voles, me declarationi illi nequaquam adversari.

CAP. V. An copula EST rectè appelletur συγκατηγορούμενον: & an sit pars enunciati.

Pag. 92. 93.  
94. 95. 96. 97.

**D**Einceps per sex ferè paginas differit de copula EST, an illa rectè nominetur συγκατηγορούμενον, & an sit pars enunciati: & hic valde sese jactat atque ostentat, inscitiamque Logicæ mihi exprobrat. Verùm enimvero quum pleraque illa admodum spinosè ab eo disputentur, nec ad causam principalem faciunt: non duco operæ pretium in singulis discutendis immorari: sed strictim tantum nonnulla attingam.

Ac primò copulam EST rectè & ex usu Logicorum à se appellatam συγκατηγορούμενον: ex eo



eo probat, quod Syncategoremata vulgò Logicorum Pag. 92  
 sunt voces & particula per se nullam rem significan-  
 tes: quæ tamen conjunctæ aliis per se significantibus,  
 consignificativa sunt: ut sunt, omnis, nullus, quidam:  
 item adverbia, præpositiones & conjunctiones. Re-  
 spondeo: Ex ista definitione intelligitur, syn-  
 categorema nominari quod additur catego-  
 remati, id est, parti enunciati, sive antecedenti  
 sive consequenti, sive subjecto sive prædica-  
 to. Verbi gratia, nomina illa quantitatis,  
 Omnis, nullus, quidam: adduntur tantum subje-  
 cto. At συγκατηγορηματικόν id demum appellari  
 meretur quod συγκατηγορηματικόν, quasi dicas,  
 comprædicatur: id est, unâ cum prædicato  
 prædicatur. Quare duo ista vocabula non re-  
 ctè ab Hofmanno pro æquipollentibus usur-  
 pantur.

Secundò, copulam EST non esse partem  
 enunciati, ostendere conatur pagina 49, tri-  
 bus rationibus. Prima sumta est ab analysi  
 propositionis: quia nimirum propositio se-  
 cundùm Aristotelem in duos tantum termi-  
 nos resolvatur, subjectum & prædicatum. Re-  
 spondeo: Aristoteles per terminum intelli-  
 git partem enunciati materialem: at copula  
 est pars formalis. Sic domus resolvitur in lapi-  
 des, ligna, cementum, tanquam in partes materi-  
 ales: interim tamen forma domus ( princeps  
 nimirum integri pars) est partium istarum apta  
 compositio: licet domus in eam non resolu-  
 tur. Secunda ratio ducta est ab analysi syllogis-  
 mi: qui in tres tantum terminos resolvitur.

Respondeo: resolvitur syllogismus in tres terminos, tanquam partes materiales: at hoc non obstat, quin syllogismi forma (id est principalis illius compositi pars) sit terminorum illorum apta dispositio: & quin copula in singulis syllogismi enunciatis sit pars cujusque formalis. Non ergo nascitur quartus terminus: etiam si copula statuat pars enunciati formalis: quum terminus sit pars materialis, tum enunciati tum syllogismi. Tertia ratio petita est a conversione propositionis: *Et cur in conversione propositionis (inquit) nullus datur modus, qui copula et partis rationem habeat?* Respondeo: Quia in propositionis conversione habetur tantum ratio partium materialium, quæ inter se transponuntur: non autem habetur ratio partis formalis, nempe copulæ, quæ suo loco manet.

Istis rationibus annectit auctoritates: quod hæc sententia non sit recens. quasi dicat, habere veteres auctores. At, inquam, philosophus id non spectat: sed tantum rationum pondus. Deinde profert auctoritatem Beza: qui magnum erratum pronuntiet, si quis copulam inter *καίμενα* referat. At, inquam, Hofmann: ego hoc non facio: quia *τα καίμενα* sunt partes materiales: at ego copulam facio partem formalem. Nec verò idem est (ut subjungis) *καίμενα* & pars constituens, quia non solæ partes materiales rem constituunt: sed etiam formalis, idq; principaliter.

Postea pagina 95. a reprehensione quadam D. Beza sese vindicat, idq; admodum spinosè: quæ

quæ disputatio quum ad me nihil attineat, non est quod in ea discutienda elaborem.

Tum pag. 96. reprehendit meam interpretationem, qua declaravi cur copula dicatur *καὶ ὅτι τὸ πρῶτον*: eò videlicet quod prædicato apponatur vel potius præponatur, ut ipsum de subjecto enunciatur. Et addidi, ipsam quidem copulam non prædicari, sed instrumentum esse quo mediante prædicatum subjecto attribuitur. At Hofmannus hoc ipso vinculum significato rei propriæ exui ait: quum tamen negari non possit, in copulam transire prædicati quam habet ad subjectum. Ego verò nego, absurdum istud ex mea copulæ definitione sequi. Etenim vinculi significatum nullum aliud est quàm affirmatio prædicati de subjecto: quo significato vinculum mea illa definitione non exiit, sed potius illud ipsam significatum traditur, licet aliis verbis. quid enim est aliud, *Prædicatum subjecto attribui*, quàm *prædicatum de subjecto affirmari*? Nec verum est, *prædicati transire in copulam*. Etenim *prædicati*, nihil aliud est, quàm affectio Logica prædicati ad subjectum ad certum argumenti genus pertinens: verbi gratia, quod prædicatum ad subjectum se habet ut causa ad effectum, vel contrà: item ut subjectam ad adjunctum, vel contrà: & sic de aliis argumentorum generibus. Atqui harum affectionum nulla in copulam transit: neq; enim copula ad subjectum affecta est ut causa, vel effectum, vel subjectum, vel aliquo tali modo.

Pag. libel-  
li mei 22.



Pag. 97. postulat á me, ut rationem reddam, cur statuam, in isto enunciato, *Christus est filius ille Dei viventis*, principale prædicatum esse vocem *Filius*: reliquas veró voces ad principale illud pertinere? Respondeo: Sic statuebam, propter principatum Syntaxis Grammaticæ: quoniam in illo complexu prædicati est in voce illa *Filius*: quæ sola ex omnibus istis cum antecedente seu subjecto convenit: reliquæ veró voces ab ea dependent ac reguntur. Sed video nunc hanc rationem non valere ad asserendum principatum *prædicati*: quippe cuius vim Logicus ex ipsa rei significatione æstimat, quæ sæpe una voce exprimi non potest.

Deinde rursus mihi objicit declarationem illam Christi, quasi illa prædicatum á tropo eximat. Sed de hoc jam aliquoties est responsum. Nec veró quicquam hinc detrahitur verbo Dei: nec regulæ eruditionis philosophicæ evertuntur. Contradictio autem quam hoc loco mihi exprobrat, ad modum tantum expositionis pertinet: sententiam veró ipsam unam eandemque relinquit. Quod etsi fatetur Hofmannus, sensum utriusque expositionis (sive scilicet exponatur, *Hoc significat corpus meum*: sive, *Hoc est signum corporis mei*) eodem recidere: tamen nescio quid tenebrarum claræ luci hinc inferre conetur, dum ait: *Equidem sensum eodem recidere non nego: inficior tamen alterutram orationem prædicatum á copula salvare*. Ego veró fateor, me quid hinc dicere velis non intelligere. Intellego tamen, illa quæ istis tanquam ad ea confirmandum conti-

continenter annectis, calumniam ex rectè à me dictis texere. ais autem: Ut enim signum corporis non est ipsum corpus, ita eodem sensu ( ut Piscator disertè contendit ) significari corpus, est profectò ipsum corpus negare, & signum ejus duntaxat substituere. At Hofmanne, calumniaris. Dico ego, panem sacre Cœnæ non esse ipsum corpus Christi, sed signum illius: item significare illud. num hinc sequitur, me corpus ipsum negare, & signum ejus duntaxat substituere? Sanè nego, corpus esse in pane: at non propterea nego ipsum corpus. Dico item, panem illum esse signum corporis: at non propterea signum pro re signata substituo: sed utriq; suum locum, suumq; usum relinquo.

Tum rursus hinc objicit Calvinum: ut qui in censura verborum Christi non admittat nudam inanemq; figuram. Quasi verò ego talem figuram in sacra Cœna statuam. Imò in ipsolibello meo calumniam hanc refutavi, pag. 27.

CAP. VI. An explicatio Piscatoris explicati  
Calvini adversetur.

**S**ed pergit Hofmannus, & ait, me sententiam Calvini reprehendere. Verum astuté, ac fallò quidem, in Calvinum transfert, quod non ignorat contra se directum esse. Equidem Calvinus ( quod sciam ) nusquam tradidit, panem Eucharisticum esse symbolum corporis CHRISTI præsentis cum pane, corporis inquam præsentis cum pane: hoc autem tradidit Hofmannus in suis illis Thesisibus

quibus refutandis libellum meum dicatum  
 esse in principio suæ contra illum disputatio-  
 nis affirmavit. nam et si Calvinus in loco supra  
 citato exemplum de columba adhibet ad de-  
 clarandam locutionem sacramentalem de pa-  
 ne Eucharistico: tamen nusquam dicit, panem  
 illum esse symbolum præsentia corporis cum  
 PANE: sed dicit, esse symbolum *quo res exhibe-  
 tur.* sed quomodo? Nempe eodem modo quo  
 nos illius sumus participes. at auctore Calvino  
 in illo loco, participes sumus corporis Christi  
*quantum ad vim spiritualem attinet.* Vis autem illa  
 spiritualis, est ipsa vita æterna: quam nos in  
 cordibus nostris per sentiscimus dum sacra-  
 mento Cœnæ admoniti, & in fide confirmati,  
 gustamus paternum illum Dei erga nos favo-  
 rem quem corporis sui oblatione Christus no-  
 bis comparavit. Participes igitur corporis  
 Christi in sacra Cœna sumus sola fide: Ergo il-  
 lud nobis non aliter illic exhibetur quam per  
 promissionem gratiæ & symbola tanquam il-  
 lius sigilla: non autem tanquam per vehicula,  
 ut quidam ex tuis fratribus nuper scribere  
 ausus fuit. Quæ quum ita sint: consequens est,  
 corollarium quod huc attexis, Hofmanne, de  
 Cinglianorum & Calvinianorum inter se dis-  
 sentione, & Piscatoris cum Cinglianis potius  
 quam Calvinianis associatione, petulantem ac  
 astute structam: quasi scilicet Cingliani nu-  
 dam inanemque figuram urgeant, & quasi hos  
 notet Calvinus, quum sententiam suam de  
 corpo-



corporis Christi exhibitione exemplo de sta-  
 tua Herculis subjicit, & tanquam dissimilem  
 opponit. Deinde consequens & hoc est. vanam  
 esse tuam gloriationem, qua gloriaris senten-  
 tiam Lutheri de symbolo præsentis corporis  
 evictam esse testimoniis Calvinii & sectatorum  
 hujus. Vana quoque illa gloriatio, quum dicis:  
*Metonymia usum ad sacramenti naturam non pertin-  
 gere demonstravimus.* Falsum etiam quod falsa  
 consequentia hinc deducis, inquiens: *Ideoq; la-  
 borem de tropo omnem ut inanem reprehendimus, quo-  
 niam in selectissimo illo tropo non successit.* Fac enim  
 ita esse, id est, non successisse laborem in appli-  
 canda verbis Domini metonymia: num hinc  
 efficitur, in nullo prorsus tropo successurum?  
 At quæ est ratio consequentiæ? num igitur ne-  
 gata aliqua specie, necesse est negari univer-  
 sum genus? Christus ait Johan. 15. *Ego sum vitis.*  
 quod improprie dictum esse animadvertens  
 quispiam, quærat per quem tropum dictum sit:  
 & quum in arte (ut nunc quidem constituta  
 est) prior occurrat metonymia quam meta-  
 phora, experiatur an metonymiam illis verbis  
 explicandis possit applicare. Non succedet la-  
 bor, num tu hinc exclamabis, laborem de tropo  
 omnem in illo dicto explicando inanem esse,  
 quia is non successit in tropo uno, metonymia?  
 At metonymia est tropus selectissimus. Imò se-  
 lectissim<sup>9</sup> tropus videatur potius metaphora:  
 unde etiam vulgò primo loco solet explicari.  
 Sed sit sanè metonymia tropus selectissimus, ac  
 qua consequentia hinc concludes, si in illo

tropo applicando labor non successit: multo minus successurum in aliis: atq; adeo omnem de tropo laborem inanem fore?

Repetis postea sophisma quod struis ex appellatione metonymiæ sacramentalis: quasi hac appellatione à nostris usurpata, præbeatur tibi argumentum inusitatarum, quas tu vocas, prædicationum. At metonymia illa sacramentalis exemplis multis rerum usitatarum à nostris passim est declarata, quare inusitatae prædicationis argumentum nullum præbet. Sed hæc de re plura dicta sunt supra.

Tum repetis calumniam de inani figura nudoque signo corporis Christi: & Zvvinglio insultas, ex eo quod vocem corporis à tropo liberavit. At interim Zvvinglius sua expositio-  
ne verum ac genuinum verborum Domini sensum reddidit.

*CAP. VII. De exceptione quam attulit Piscator contra ratiocinationem Hofmanni ab exemplo columbæ: & ibi de presentia Dei singulari secundum essentiam.*

**D**EINCEPS aggredieris refutare exceptionem quam in libello attuli contra tuam ratiocinationem ab exemplo columbæ quam Johannes vidit super Christum. Ac initio fateris, quum Johannes dicitur vidisse spiritum, per metonymiam spiritum appellatum esse pro columbæ: sed

sed contendis, illa appellatione inprimis Spiritus cum  
 columba presentiam notari. Veruntamen nul-  
 lam hujus tuæ sententiæ adducis probatio-  
 nem, tanquam scilicet extra controversiam  
 positæ. Et sanè ipse quoque concessi, co-  
 lumbam illam fuisse symbolum præsentia  
 Spiritus sancti: nec concessisse pernitet. At  
 hic tu me urges, & responderi postulas, quo-  
 modo metonymia hanc circumstantiam explicet: &  
 quasi id fieri à me non possit, confidenter  
 exclamas: Nanquam profectò explicabit quod suo  
 sensu non comprehendit. Ego verò Hofmanne,  
 etsi meo sensu non comprehendo, nec com-  
 prehendere laboro, QUOMODO Spiritus  
 sanctus in CHRISTO sit operatus (quæ ope-  
 ratio hinc præsentia nomine intelligenda est)  
 tamen ex verbo DEI possum ostendere, qua  
 ratione columba illa præsentia illius sive  
 operationis fuerit symbolum: videlicet qua-  
 tenus è cælo super CHRISTUM descen-  
 dit, & super ipso requievit. Illo enim de-  
 scensu & requie significatum fuit, Spiritum  
 sanctum adesse CHRISTO per singularem  
 efficaciam, illumque suis donis replevisse: sic-  
 ut per Prophetas fuerat prædictum: ad quas  
 quidem prophetias ipse Pater respexit, &  
 mentes Judæorum spectantium atque audi-  
 entium revocavit: quum illa columba su-  
 per CHRISTUM requiescente, pronun-  
 ciavit hæc verba: *Hic est filius ille meus dilectus*  
*in quo acquiesco*, Matthæi tertio vers. ultimo.  
 Quum enim dicit, *ὁ υἱός μου, Filius ille meus:*

Pag. libelli  
 mei 24.



perinde est ac si diceret: Quem per Prophetas vobis promisi: quem per eoldem testatum sum repletum iri Spiritu sancto ad exequendum munus prophetæ, sacerdotis & regis Ecclesiæ. ut Ela. II. *Prodibit virga ex trunco succiso Isai, & surculus e radicibus ejus efflorescet: super quo quiescet spiritus JEHOVÆ, spiritus sapientiæ & intelligentiæ, &c.* ubi notandum verbum *Quiescet:* ut intelligamus, quid significarit quies illa columbæ super CHRISTO. Item cap. 61. *Spiritus Domini Jehova est super me: eo quod unxit Jehova me ad evangelizandum mansuetis, &c.* Quam quidem prophetiam Christus, prophetæ scudotoris munere jam fungens in synagoga Nazarethana, sibi expressè applicat. Etenim quum locum illum prælegisset, cœpit auditoribus dicere, *Hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris, Lucæ 4: v. 21.* Plures prophetias huic citare nihil opus est: ex his enim cum historia Christi collatis satis perspicitur, qua ratione columba illa symbolum fuerit præsentia Spiritus sancti in Christo, & cujusmodi præsentiam significarit, videlicet præsentiam singularis gratiæ, qua adfuit humanæ naturæ Christi per sua dona. Quare quum in historia baptizati Christi, Spiritus pro columba per metonymiam appellatur, videlicet res significata pro signo: liquet appellationis illius causam in ipsa symboli ratione jam exposita consistere.

Deinde

Deinde pergit Hofmannus ad enunciationem quæ ex metonymica illa appellatione per resolutionem nascitur, videlicet, *Columba illa erat Spiritus sanctus*: ac monet, *metonymiam hic multò minus satisfacere: ut quæ non satisfecerit ubi ipsi aliquid loci fuit*. At, inquam, satisfecisse metonymiam in illa appellatione Spiritus, jam ostendi: ac proinde pari ratione in hac quoque enunciatione satisfaciet: ut nimirum intelligamus, columbam illam fuisse non ipsum Spiritum sanctum, sed symbolum ac testimonium divinum gratiosæ illius præsentia seu operationis Spiritus sancti in natura humana Christi.

Sed criminatur hoc loco Hofmannus, *trans-* Pag. 102  
*itu ad predicationem confundi à me simplicium & compositorum discrimen: Rhetoris item atque Logici distinctas partes*. At ego nego, hæc absurda ex illo transitu sequi. nam sive spiritus pro columba nominetur, sive columba spiritus esse dicatur: utrobique metonymia est in voce *Spiritus*: quippe qua Symbolum spiritus intelligitur: Metonymiam autem illam observare, ad Rhetoris partes propriè pertinet.

At excipit Hofmannus: *si metonymia in illius enunciati predicato collocetur: fore ut non ipse Spiritus sanctus intelligatur, sed nomen hujus pro alio ponatur*. quod quidem ( ut apparet ) absurdum illi videtur. Sed absurdum tamen non est. nam certè columba illa etsi dicatur fuisse Spiritus sanctus: non tamen erat ipse Spiritus san-

Etus, sed erat ejus symbolum: ac proinde quum dicitur: *Columba illa erat Spiritus sanctus*, nomen Spiritus sancti pro alio, videlicet pro symbolo Spiritus sancti ponitur.

Quæ deinceps de præsentia λόγῳ differit, quasi nullam ejus rationem præbeat metonymia: pauló ante á me sunt discussa: ex quibus judicari potest, interpretationem meam immeritó hic ab Hofmanno irrideri.

Sed pergit Hofmannus, & deinceps disputat contra exceptionem quam opposui applicationi exempli columbæ ad panem Eucharisticum: quæ applicatio in libello meo proposita est his verbis, pag. 23. *Columba symbolum erat Spiritus sancti presentis: Ergo pari ratione panis cœnæ Dominica, symbolum erit corporis Christi presentis.* Isti enthymemati ibidem oppono hanc exceptionem: *Nego consequentiam, quia non est par ratio: quum Spiritus sanctus infinitus & ubiq; sit: corpus veró Christi finitum & uno tantúm in loco.* Quid jam contra disputat Hofmannus? In initio astutè suo more mentionem ingerit Calvinii, Capitonis & Buceri: ut qui illo columbæ exemplo usi sint, & ipsum cum prædicationibus sacrae Cœnæ compararint. At non ignoras, Hofmanne: illos Dei servos, longè aliam corporis Christi in sacra Cœna præsentiam statuisse, quàm tu statuis: ac proinde injuriam mihi facis dum me insimulas, quasi contra opinionem tuam disputando, eadem opera contra illorum sententiam disputem. Sed ad rem ipsam accedens, agnoscis ac fateris indicatam á me impa-



imparitatem, id est, exempli allati dissimilitu-  
 dinem: sed excipis, demonstrandum mihi si-  
 mul fuisse, quod eadem imparitate sublata,  
 asserta sit opposita paritas eodem respectu.  
 Sed quo tu jure hoc à me postulas? Num igitur  
 censeres disputatoris officium esse, discedere  
 à quaestione proposita? Tibi quidem hoc so-  
 phismatis genus familiare est, ut jam semel at-  
 que iterum ostendi. Nego hinc quicquam mihi  
 concludendum fuisse de exemplorum illorum  
 inter se paritate vel similitudine. Neque enim  
 hic quaerebatur, quænam illa esset: sed quaere-  
 batur an illa consequentia in proposito enchy-  
 memate sit bona. Id ego nego, & negationis  
 meæ rationem clarâ affero: quod quum argu-  
 mentum ductum sit ab exemplo, dissimilitudo  
 tamen appareat: & quidē dissimilitudo quam  
 collationis λόγος concernit. Nam certē qua-  
 estio hic est, an panis Eucharisticus sit symbolū  
 corporis Christi præsentis cum pane substan-  
 tialiter. Hoc Hofmannus affirmat: & exemplo  
 illius columbæ confirmari putat: quippe quæ  
 symbolum fuit Spiritus sancti cum columba  
 præsentis substantialiter. Ego verò istius en-  
 thymematis consequentiam nego, propter dis-  
 similitudinem quæ est inter Spiritum sanctū &  
 corpus Christi; quod videlicet illius substantia  
 est infinita & ubiq; semper præsens: hujus autē  
 finita & uno eodemq; tempore uno tantū in  
 loco præsens. Quare immerito hinc sophisticū  
 artificium mihi exprobras: quasi rejecerim ex-  
 emplum propter dissimilitudinē quam colla-

tionis *167* non concernat. Attamen non agitur hic, inquis, de ubiuitate, quæ Spiritus sancti proprietatis est. At agitur, inquam, de præsentia corporis Christi substantiali: & ad hanc confirmandam exemplum à præsentia substantiali Spiritus sancti adducitur. Porro hæc dissimilitudine ostensa, ostendi postea & alteram: quæ pertinet ad præsentiam efficaciam seu operationis. Nam si quis priore præsentia illius substantialis dissimilitudine concessa, confugiat ad præsentiam efficaciam, & in hac similitudinem constituat: occurri, & hic quoque dissimilitudinem ostendi. Nam Spiritus quidem sanctus præsens fuit in Christo per gratiosam operationem, cuius præsentia symbolum fuit illa columba; at corpus CHRISTI non sic est præsens in iis qui accipiunt panem Eucharisticum: ac proinde panis Eucharisticus non potest huius præsentia esse symbolum. Quid contra hæc Hofmannus? Primum

*Pag. 103.* dicit, *me errare, quod præsentiam illam Spiritus sancti in Christo, tantum gratia consideratione definiam, quodque in voce Spiritus tropum ponam: ut non spiritus ipse, sed huius donum intelligatur.* Ego verò columbam illam fuisse symbolum ipsius Spiritus sancti, id est, quo ipse Spiritus sanctus significatus fuit, non nego: sed interim affirmo, descensum illius columbæ é cælo & requiem super Christo, fuisse symbolum operationis gratiosæ Spiritus sancti in natura humana, ac nominatim in mente & voluntate CHRISTI: ita ut mens illius donaretur excellenti

cellenti cognitione mysteriorum regni Dei,  
 & voluntas alacritate eximia exequendi mu-  
 nus sibi à Patre inunctum. Unde statim à ba-  
 ptismo, donis illis Spiritus sancti repletus, ab  
 eo ipso Spiritu actus fuit in desertum, ut tenta-  
 retur à diabolo, & per excellentem illam sapi-  
 entiam & sanctæ voluntatis constantiam in il-  
 la tentatione victor evaderet; ac tùm per vir-  
 tutem Spiritus in Galilæam reversus, munus  
 suum Propheticum illic inchoaret, sapientissi-  
 mé mysteria regni cœlorum edisserendo, cum  
 omnium admiratione; ut percipitur ex iis quæ  
 & Matthæus & Lucas, uterque capite quarto  
 Evangelicæ suæ historiæ, narrat. Verum enim-  
 verò gratiosa hæc Spiritus sancti in Christo  
 præsentia Hofmanno non satisfacit: sed singu-  
 larem (nescio quam) substantialis præsentia  
 rationem requirit: quæ in illa de columbæ su-  
 per Christum descensu historia doceatur. Sed  
 quomodo hanc suam opinionem ex illa histo-  
 ria probat? Ex eo scilicet, quòd Deus non dixe-  
 rit, Super quem videris *gratiam* Spiritus sancti  
 demitti: sed, super quem videris *Spiritum san-*  
*ctum* descendentem ac manentem super eum.  
 Hæcne tibi, Hofmanne, firma probatio vide-  
 tur? at pari ratione probaveris, non columbam  
 super Christum descendisse ac super eo man-  
 sisse seu requievissè: quia scilicet Deus non di-  
 xit, Super quem videris *columbam* descenden-  
 tem ac manentem, sed, Super quem videris  
*Spiritum sanctum* descendentem ac manentem.  
 Et tamen certum est, non ipsum Spiritum san-

Matth. 4. 1.

Luc. 4. 1.

Matth. 4. 7.

12. &amp; deinceps.

Luc. 4. 7. 14.

&amp; deinceps.

Pag. 103.



ctum, sed columbam á Johanne conspectam esse, super Christum descendisse, ac super eodem ad temporis aliquod spacium requievisse. Animadvertit hanc exceptionem Hofmānus: ac proinde negat, se Spiritui sancto tribuere descensum per motum localem: sed tamen non derogare illi omnem descensus ἀναλογίαν: cum Dei ad homines adventus, atque ab iisdem recessus sapissime in scriptura inculcetur.

Sed quam tu hīc vocas ἀναλογίαν, Hofmannenum qualem Physici, quum dicunt, talpam non habere quidem oculos, veruntamen habere aliquid oculis ἀνάλογον: item, mares in genere hominum, canum, caprarum, non habere papillas, sed aliquid papillis ἀνάλογον? Hoc sane videris velle. quanquam si hoc vis, haud satis ad propositum tuum accommodatē vidēris loqui pauló póst, quum dicis, *sermoni ita formato* (videlicet quo Deo in scriptura tribuitur adventus & recessus) oportere aliquid rei subesse, idque Deo ἀνάλογον, pro eo quod dicendum erat, actionibus illis humanis (accessui, inquam, & recessui) ἀνάλογον. Sed qualemcunq; tu ἀναλογίαν hīc intelligas, sive hanc specialē Physicorum, sive illam generalem Logicorum, apud quos ἀναλογία est rationum similitudo: quum Deus in scriptura dicitur ad homines descendere, item ad eos accedere aut ab eis recedere: necesse est ut statuas, illa aut propriē loquendo Deo attribui, aut per tropum. At non statuis attribui propriē loquendo: negas enim te Spiritui sancto tribuere descensum per motum localem.

localem, at descensus propriè dictus extra con-  
 troverfiam est motus localis. Concedas igitur  
 necesse est, illa Deo attribui per aliquè tropū.  
 Quod si hîc disjunctivæ meæ opponere voles  
 tuam illam exceptionem de prædicationibus  
 inusitatis: tum illa exceptio hoc quidem loco  
 aut nihil te juvabit, aut statuendum tibi fuerit  
 novum ac tertium genus prædicationum in-  
 usitatarum, videlicet earum quæ loquantur de  
 præsentia Dei singulari: atque ita quoties tibi  
 erit commodum, ad *χρηστέως* illud inusitata-  
 rum prædicationum te recipies, earumque ge-  
 nera subinde novi commenti accessione locu-  
 pletabis. Sed nos temeritate illa communi-  
 scendi repudiata, & veritate disjunctivæ illius  
 retenta, consideremus per quem tropum Deo  
 tribuatur descensus. Et quidem tribui cen-  
 semus per eum (saltem ex parte) quem tua  
 ipsius verba innuunt, quum dicis, *Deum ita lo-  
 quendo, loqui ad nostrum captum*: quod quid aliud  
 est quam de se suaque natura divina loqui no-  
 biscum more humano, nō secus ac si ipse quo-  
 que homo esset. Qui nimirum loquendi mo-  
 dus metaphora est, à natura ac moribus ho-  
 minis petita: quam proinde Theologi (quod  
 re non ignorare puto) *ἀνθρώπων ἕνεκα* appel-  
 larunt. Sed non libuit tibi usitatam illam ac  
 veterem & (quod præcipuum est) veram de *ἀν-  
 θρώπων ἕνεκα* doctrinam huc adhibere, ad de-  
 clarandum scilicet Dei ad homines adven-  
 tum: sed maluisti aliquid novi ex philoso-  
 phia Aristotelica afferre, fortasse ut acutè

inventionis laudem referres. Cæterum ut ipse quoque aliquid conferam ad illum loquendi modum melius declarandum: quum Deus dicitur ad homines descendere & ab illis rursum abire, videtur mihi illud dici per metonymiam effecti destinati metaphoricam. Etenim per illum descensum intelligitur patefactio Dei sub specie visibili, cui ille quasi descensus fuit destinatus. Nam quia Deus dicitur habitare in cælis; fit, ut quum sanctis sub specie visibili apparuit in terris, putemus eum é cælo in terras instar hominis descendisse: quum tamen revera non descenderit, sed illic manserit, & ante illum descensum jam in terris fuerit. Sic Jehova in specie viri, duobus angelis item speciem virilem gerentibus comitatus, accessit ad Abrahamum: ac dixit, se descensurum Sodomam & Gomorram; denique postquam colloquium cum illo absolvisset, abiit. Interdum veró per accessum Dei ad hominem intelligitur operatio in homine gratiosa & invisibilis: item que per recessum, illius operationis cessatio. Sic dicitur Spiritus Jehovæ irruisse in Davidem & recessisse á Saule. quia operatio illa seu effectio gratiosa donorum ad regium munus administrandum necessariorum, videlicet sapientiæ politicæ & fortitudinis militaris, tum desit in Saule, cæpit veró in Davide. Sic Saul ipse dicebat Pythonissæ: *Deus recessit á me*: atq; istud mox exponens addit: *nec exaudit me amplius, &c.* Unde jam perspicitur, accessum illum Dei ad homines, itemque ab eisdem recessum, de effectis illius

Gen. 18.

1. Sam. 16. v.  
13. & 14.1. Sam. 28.  
7. 15.



illius in hominib. intelligendum esse. Sed contra hoc excipit Hofmannus: *si effectum operantis* Pag. 104.  
*spectas, tam in vasis iræ quam in vasis misericordie operatur Deus. Jam si ratione effecti ad hominem venire dicitur: eodem respectu a nulla creatura abest, ne quidem a diabolis & damnatis hominibus. Verum ejus respectu quo ad fideles venire dicitur, ab infidelibus abest.* Disponamus hæc syllogisticè, ut clariùs possint judicari. Concludere vult, Deum non dici venire ad hominem ratione effecti. Argumentum affert hoc: quia Deus operetur etiam in vasis iræ seu damnandis hominibus, item in diabolis & denique in omnibus creaturis. Syllogismus ergo sic erit:

*Si Deus dicitur ad hominem venire ratione effecti, dicendus erit etiam venire ad homines damnandos, item ad diabolos & denique ad omnes creaturas. Ratio: Quia in his omnibus operatur.*

*Atqui Deus ad istos non dicitur venire.*

*Non igitur dicitur ad hominem venire Deus ratione effecti.*

Respondeo. Nego connexum: quod tum demum verum esset, si Deus ad hominem diceretur venire ratione cujusvis effecti: at dicitur ad hominem venire ratione tantum effecti gratiosi: quod in diabolis & creaturis irrationalibus locum non habet. In damnandis verò hominib. locum quidem habet operatio gratiosa donorum pertinentium ad hanc vitam: qualem paulo-antè commemoravimus de Sale: Sed ex hac parte falsum erit assumtum. Assumitur enim, Deum ad neminem istorum di-

ci venire, videlicet nec ad diabolos nec ad homines damnandos. Quare sententia illa Hofmanni non simpliciter vera est, quum dicit, *Ejus respectu quo ad fideles venire dicitur, Deum ab infidelibus esse.* hoc enim tantummodo verum est de effectis gratiosis pertinentibus ad vitam æternam: non autem de effectis gratiosis, pertinentibus ad hanc vitam: sicut è Saulis exemplo intelligitur.

Sed amplius excipit Hofmannus: *Deus (inquit) non solum gratiam in piis efficere: sed ut hæc conferatur, prius ad eos venire dicitur. Aliud est, Deum in homine sancto habitare: aliud, in eo operari dona gratiæ, sicut distinctè loquitur Jehova Exod. 29. Veniam ad te, & benedicam tibi.*

At, inquam, Hofmannus: distinctæ istæ locutiones non statim inferunt sententiæ diversitatem. etenim in scriptura solet una eademque sententia repeti & declarari aliis verbis. Et sanè ille Dei ad hominem adventus, verbo *Benedictionis* in illo dicto declaratur. Similiter illa Dei inhabitatio sive inambulatio in sanctis, declaratur per hoc, quod Deus velit illis esse in Deum, hoc est, gratiam suam illis gustandam dare, & ex paterno favore illis benefacere: Lev. 26. 12. & 2. Corinth. 6. 16.

Sed pergit Hofmannus, & tertiam exceptionem affert: *Et secundum suam essentiam (inquit) Deus sese sanctis jungit & unit. Itaque secundum illam essentiam singulariter præsens est: quod certè impiis non contingit. Præsentia igitur Dei fidelibus promissa, non tantum est singularis quadam Dei efficiacia,*

*cacia, sed ante omnia ipsius essentia Dei propria peculiaris, &c. Concludamus syllogismo:*

*Si Deus secundum essentiam sese unit sanctis: sequitur eisdem singulariter presentem esse secundum essentiam. Ratio: Quia impiis secundum essentiam se non unit.*

*At verum est antecedens.*

*Ergo & consequens.*

Respondeo. Ut hoc argumentum possit judicari: ante omnia probanda fuerit assumptio claris testimoniis scripturæ. At scriptura de unione Dei cum sanctis secundum essentiam nihil (quod equidem sciam) tradit: sed tantum tradit, Deum ubique esse, & omnia in ipso seu per ipsum consistere. Unionem autem secundum essentiam tribuit soli Filio Dei, quatenus ille naturam humanam in unitatem personæ sibi univit. Quare quum Deus ubique sit: non poterit dici secundum essentiam aliquò venire. Sed hoc argumentum Hofmannus hoc loco per prolepsin diluere conatur, inquiens: Nos quidem comprehendere non possumus, quomodo ille aliquò possit venire qui ubique sit: utrumque tamen dicitur in scriptura. Respondeo. Sanè utrumq; dicitur: sed alterum propriè loquendo & secundum essentiam: alterum per tropum & ratione operationis.

Tum repetit argumentum paulo-antè propositum: videlicet, *Conjunctionem cum essentia Dei, que sit presentia singularis promissa fidelibus, non esse communicandam cum diabolis.* Sed ejusmodi conjunctionis nullum affert testimonium. Af-



fert tamen ratiunculam accommodatam persuadendis semifratribus suis Ubiquitariis, in-  
 quiens: *Et hoc ideo magis urgendum est hoc loco, quod  
 consideratio ejus moderatur presumptionem, qua præ-  
 sentia corporis Christi cum pane sacre Cœnæ impossi-  
 bilis fingitur. Quasi verò hæc sit præsumptio! Imò  
 præsumptio est opinio contraria, qua præsentia  
 illa corporis Christi cum pane sacre Cœnæ,  
 atque ita in pluribus locis simul & semel, fingi-  
 tur possibilis: Repugnat enim corporis Chri-  
 sti veritati, sacris litteris testata. Quanquam  
 dubitari potest an constare possit illa parium  
 collatio quam hic affert Hofmannus, quum  
 ait, non minus mirabile esse, deitatem suam æternam &  
 immutabilem essentiam infinitam & omnium præsentem in  
 aliquo loco singulariter præsentem esse totam, ut eadem  
 præsentia non sit ubique: quam quod corpus Christi ve-  
 rum & finitum, in pluribus locis simul & semel sua es-  
 sentia præsens vocetur.* Mihi quidem dissimilis ra-  
 tio videtur, atque adeo prius illud minus mira-  
 bile esse. nam si Physicis credimus, animam to-  
 tam esse in toto corpore & in singulis partibus  
 totam, & quidem in singulis partibus singula-  
 riter, propter singulares nimirum operatio-  
 nes: quanto magis de essentia Dei infinita sta-  
 tuemus, illam totam esse in toto mundo, & in  
 singulis mundi partibus totam, idque singula-  
 riter, propter singulares operationes? At cor-  
 pus Christi quum finitum & circumscriptum  
 sit, non potest simul esse in pluribus locis se-  
 cundum essentiam, neque communi aliqua ra-  
 tione, neque singulari. Sed Hofmannus pa-  
 ritate

titate illa rationum, quam proposuit, confi-  
 dens, obtestatur hic semifrater suos Ubiqui-  
 tarios, qui priore illa assertione de singulari Dei in ali-  
 quo loco secundum essentiam presentia, offenduntur: Pag. 106.  
 ut antequam aliquid suo iudicio statuam, in timore  
 Dei posterius accuratè expendant. Sperat enim, il-  
 los paritate rationis adductū iri: ut quoniam  
 statuunt, corpus Christi finitum pluribus in  
 locis simul & semel esse sua essentia, pari ratio-  
 ne statuunt quod ipse hic contendit, essentiam  
 Dei infinitam uno aliquo in loco singulariter  
 presentem esse. Tum ad Calvinum delabitur,  
 & verba ejus de Jacobo patriarcha ex Com-  
 mentario in 35. Genesis adducit: quasi Calvi-  
 nus illic de Jacobo scriptum reliquerit, illum  
 credidisse, quod Deus in loco aliquo singulariter præ-  
 sens sit, nempe quoad essentiam: de hoc enim  
 est quæstio. At ubi verba Calvini diligenter  
 quis expendit, nihil tale in illis reperiet: sed  
 tantū laudat fidem Jacobi, quod sensus suos  
 direxit ad revelationem. hoc est, quod credi-  
 derit, Deum illic esse ubi sese ei patefecerat,  
 nempe in BETHEL: non disputans argutè de  
 essentia Dei. Quib. sanè verbis Calvinus con-  
 trarium potius innuit: videlicet Jacobum non  
 existimasse Deum illic secundum essentiam ef-  
 se singulariter: ac omnino de modo presentia  
 non fuisse sollicitum: sed simpliciter credidisse,  
 Deum illic esse ubi sese ei patefecerat. Et, si  
 maximè Calvinus id sensisset, Deum secundum  
 essentiam singulariter illic cum Jacobo fuisse:  
 votum tamen Hofmanni hoc loco inane esset, Pag. 106,  
& 107.

quo optat ut Sacramentarii illam sententiam applicent quæstioni de corpore Christi pluribus in locis simul sistendo. Etenim cur applicaret illi tanquã simile, quod est dissimile? Quippe Deum esse certo loco præsentem singulari ratione, non repugnat naturæ ipsius infinitæ atq; omnipræsenti: at naturæ corporis Christi repugnat, Esse præsens pluribus in locis simul. Neq; hic iuvat quod prætendis fidei simplicitatem: quã fides nitatur certo testimonio verbi Dei; quo illa corporis Christi multipræsencia destituta est. Lutheri testimonium quod allegas, hic nihil valet: quum de ipso eius dogmate controvertatur.

Quod me obsecras, ut si in has notationes tuas incidero: vel me vel te hic expediam: equidem ad utrunq; expediendum hactenus disserui quæ Dominus dedit. quæ si te expedire poterunt: habebò quod tibi gratuler, mihi gaudeam. Veruntamen tu in sequentibus adhuc magis te ipse impedis atq; involvis, ac me unã tecum impedire atq; involvere laboras, dum aliud tanquam à simili seu pari argumentum affers, & speciosè exponis, de subsistentia naturæ humanæ in persona filii Dei: quæ nimirum simplici fide credatur, quum rationi humanæ non minus videatur impossibilis, quàm multipræsencia corporis Christi. At heus bone vir, magna hęc dissimilitudo est. Nam etsi utrumq; illud rationis humanę iudicio impossibile est: tamen nos Christiani prius illud simplici fide credimus, quia confirmatum est testimonio



stimonis verbi Dei: alterum veró illud non credimus, sed repudiamus: quia non solum testimonis verbi Dei destitutum est, sed etiam illis adversatur.

CAP. VIII. *An corpus Christi in nos agat: & quo sensu caro Christi dici possit vivifica.*

**D**EINCEPS Hofmannus aggreditur refutationem ejus quod scripsi, *Corpus Christi nihil in nos agere: nec in animas nec in corpora nostra.* Et hic singulari cum zelo ( ut videtur ) profanitatem scilicet meam atq; impietatem diabolicam, horrendã, abominabilem & Antichristianam & quidem summa cum stupiditate cõjunctam, qua nimirum tribuam Christo impotentissimũ corpus, execratur. Sed interim sophisticè omittit quæ ego ad sententiã meã declarationẽ pag. 24. adjeci: videlicet, *Gratiam & efficaciam donorũ nõ esse corporis Christi tanquã causã agentis: sed ipsius personæ Christi, quatenus unã cum Patre per Spiritũ sanctum in cordib. Electorum est efficax.* Item, *Christum corpore suo, quatenus illud pro nobis in cruce obtulit, impetrasse nobis à Patre gratiã illã & efficaciam Spiritus sancti: licet ipsũ in nos nihil agat, &c.* Hãc meã de vivificatione sententiã quãquã cõfido omnib. veris Theologis probari: tamẽ quia hic calũniator rãtos clamores excitat, necesse habeo aliqd amplius de ea dissèrere. Sic igitur nobis hæc posita quæstio, *An corpus Christi sit vivificũ.* Hofmãnus id simpliciter & absq; ulla distinctione affirmat: dũ ait, *se evicisse, corpus Christi in animas & corpora nostra potentissimẽ agere.* Item, cùm ait, *Carni Christi disertè tribui vim vivificandi.*

At ego ad quæstionem propositam respondeo  
 adhibita distinctione. Vivifica enim intelligi  
 potest caro Christi, tanquam causa agens, id est  
 quæ vitam in nobis efficiat: Vel tanquam causa  
 impulsiva, qua Deus qui solus vitæ effector est,  
 moveatur atq; impellatur ad vitam in nobis ef-  
 ficiendam. Priore sensu equidem carnem Christi  
 vivificam non statuo: quum eo modo solus Deus  
 vivificus sit: quumq; ipsa mortua ne seipsam qui-  
 dem vivificare potuerit. Est enim vivificatio &  
 animæ & corporis, opus proprium divinæ potē-  
 tiæ, quæ Pater & Filius per Spiritum sanctum gra-  
 tiosè in electis utrunq; operatur: animas quidē  
 illorum vivificando per effectiōnem fidei qua gu-  
 stant illi gratiā Dei morte Christi partā: corpo-  
 ra verò excitando & gloria cœlesti induendo: id  
 quod demum fiet in universali resurrectione mor-  
 tuorum. At posteriore sensu carnem Christi vi-  
 vificam dici posse concedo, nempe quatenus per  
 ipsius crucifixionem atq; oblationem nobis à Deo  
 impetrata est remissio peccatorum, donatio Spi-  
 ritus sancti & vitæ æterna. Atq; hanc meam sen-  
 tentiam confirmo è sexto capite Johannis: ubi  
 caro Christi eatenus demum vivifica esse tradi-  
 tur, quatenus est panis vitæ seu cibus vivificus,  
 secundum verba Christi: *Panis (nempe panis ille  
 vitæ) quem ego dabo, caro mea est: quam ego dabo pro  
 mundi vita.* Ecce quomodo caro Christi sit vivi-  
 fica! nempe quatenus data pro mundi vita, effe-  
 cta est credentibus panis vitæ seu cibus vivificus.  
 Porrò vivificus hic cibus tum demum vivificat  
 quum editur: editur autem fide: ut in eodem  
 capite

capite docet Christus, ubi ait: *Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, &c.* Quod ipsum *ψ. 47.* enuntiaverat sic, *Qui credit in me, habet vitam aeternam.* Sed videamus, quid de efficacia carnis Christi asserat Hofmannus.

Primum ait, *Se jamdudum evicisse, corpus Christi in animas & corpora nostra potētissime agere.* At ego quæro, ubi aut quando id evicerit? Et ut ille se evicisse affirmat: sic ego id ipsum nego. Deinde affert sextum caput Johannis: ac inde primum recitat illa verba, *Nisi ederitis carnem filii hominis, non habebitis vitā in vobis.* Nempe hoc ipsum est, quod paulo antē dicebam, carnem Christi eatenus vivificam esse, quatenus habet rationem cibi: habet autem rationem cibi, quatenus data est pro mundi vita, ut Christus ipse declarat. Sed Hofmannus ait illis verbis promitti fidelibus præsentiam corporis, &c. Sed quoniam intelligit præsentiam corporis Christi *cū pane*, sciat illā ex istis verbis nō posse evinci: quū certū sit, Christū loqui de ea comestione quæ fit per fidem: quæ fit ut nō possit ex eisdē verbis colligi præsentia realis atq; substantialis, quæ in fidelibus quoq; cōmunis sit: sed tantū spiritualis, quia corpus Christi præsens intelligitur spiritūi hominis fidelis, contēplantis illud tāquam pro se oblatū atq; ita comedētis illud spiritualiter. Deinde citat quoq; ex eodē capite sententiā qua disertē carni Christi tribuatur vis vivificandi. Si intelligit sententiam paulo antē a nobis allatam, quæ extat *ψ. 51.* ubi Christus ait,



panem illum vitę esse carnem suam: de sensu illorum verborum jam antea respondi: unde liquet, illa pro simplici illa assertione Hofmanni nō facere. Si verō ad verba paulo antē à se recitata respicit: de illis quoq; modō respondi. Tertiō affert dictū Johānis ex 1. Epist. cap. 1. Sanguis Christi emūdat nōs ab omni peccato. Sane, inquā, emundat: sed nō emundat ut agens in animas nostras: sicut nimirū potio medica emundat interiora corporis, agens in ipsū corpus: sed emundat seu purgat ut promerens remissionem peccatorum apud Deum.

Hisce rationib. in medium allatis, occurrit objectioni: quippe quōd sim regesturus illud, Caro nō prodest quicquā. Respondet: Verūm hic docebit priūs, Carnē Christi talē esse, quod p inde est ac si diceret mihi docēdū: illud de carne Christi dictum esse. Docebo igitur, si modō velit discere. Etenim quid ibi Christus agit, & qua de re differit? nōne de pane vitę æternæ, & de panis illius comestione ad vitā æternam cōsequendā? Ac panē quidē illū vitę dicit esse carnē suā, idq; quatenus eā daturus sit pro mundi vita: & qui hūc panē ederet, illū victurū in æternū: *v. 51.* Hoc sermone cū offēsi essēt Capernaite, ut q̄ eū acciperēt tanq̄ proprie dictū, nec ad metaphorā attēderēt, *v. 52.* Christus nihil moratus illorū stupiditatē, sententiā illam utrāq; plurib. verbis repetit, *v. 53. 54. 55. 56. 57. 58.* Quo sermone quū multos quoq; ex discipulis offēdi videret, *v. 60. & 61.* Christus opinionem eorū de orali esu suę carnis refutat ex ascēsiōne sua

sua in cœlū, *ψ. 62.* deinde verba sua quib. fuerāt  
 offēsi, declarat, ut omnē offēisionis causā tollat,  
 inq̄ens *ψ. 63. Spiritus est qui vivificat: caro nō prodest*  
*quæquā verba que ego loquor vobis, spiritus sunt, & vita*  
*sunt.* Quæ verba si quis cū præcedētib. cōparet;  
 facile videt de eadē carne sermonē adhuc esse,  
 de qua illic: q̄ppe quū Christo propositū sit, il-  
 la phæc declarare. Atq; hoc ipsū monet arti-  
 culus in Græco additus. Dicitur enim, *ὃς ἄρτι ἐστὶν*  
*ὁ φωνῆς ἐστὶν:* ubi articulus est *ἀναφορικὸς*, referens  
 mētē auditoris & lectoris ad ea quæ paulo an-  
 tē fuerāt dicta. Dictū autē fuit de carne Christi,  
 illā vere esse cibū, & q̄dem cibū vivificū. At quā  
 fit, inquit aliquis, quod quū Christus antea  
 dixerit, Carnē suā, si comedatur, esse vivificam:  
 jam dicat, eā nihil prodesse: sed Spiritū esse qui  
 vivificat? Nēpe respicit ad falsā opinionem Ca-  
 pernaitarū, q̄ verba ipsius sic acceperāt, ac si ca-  
 ro ipsius in se cōtineret vim vivificādi, illāq; ex-  
 ereret ore comesta. Hoc verō negat Christus:  
 & cōtrā affirmat, vivificationē effici á Spiritu  
 sancto, quatenus nimirū ille per verbum Euā-  
 gelii sit efficax in cordib. electorum, illuminās  
 scilicet ea cognitione mysterii salutis ipsorum  
 partæ per mortē Christi, & eisdē persuadens  
 veritatem promissionis gratiæ: ut illi credētes,  
 gustent gratiam Dei, atque ita spiritualitē vi-  
 vificentur. unde subjungit: *Verba mea spiri-*  
*tus sunt & vita sunt.* quibus verbis significat, ver-  
 ba illa sua quibus promissionem Evangelii e-  
 disseverat, esse instrumentum per quod  
 Spiritus sanctus vitam in cordibus efficiat:

unde & Petrus paulo-póst ait: Verba vitæ æternæ habes. Hanc puto genuinam esse hujus loci explicationem: non ignorans, illum aliter à quibusdam magnis Theologis tum veteribus tum recentioribus (quorum honori nihil ego derogatum volo) explicari. Nec desunt mihi doctissimorum Theologorum judicia, quibus allatæ expositioni favent: per Spiritum scilicet intelligentes hoc loco non ipsam Christi deitatem, sed Spiritum sanctum.

At contra allatam expositionem sic excipit Hofmannus: *Si de corpore Christi statueris, id nihil prodesse: Capernaitarum hypothesein prius affirmasse oportuit, nempe corpus Christi prodesse. Imò Christus non respicit ad hypothesein Capernaitarum, sed ad falsum intellectum suorum verborum: Quasi nimirum voluisset, ut carnem ipsius ederent ore: & quasi promisisset, si ita eam ederent, proficere illis ad vitam æternam. Hoc, inquam, est illud quod Christus negat, quum dixit, Caro non prodest quicquã, nempe ad vivificandum, idq; eo modo quem conceperant Capernaitæ. Interim his verbis nõ vult evertere Christus quod antea dixerat ꝑ. 51. Carnem suam esse panem vitæ, quatenus danda sit pro mundi vita. Profuit igitur plurimum nobis caro Christi: sed profuit quatenus data est pro nostra vita, id est ad promerendum nobis vitam æternam. At eadem interim non prodest quicquam, nempe ad vivificandum seu vitam efficiendum in nobis, idque per oralem comessionem.*

Addit



Addit & alteram exceptionem, inquit: *Neg, ideo corpus nihil agit, quia Spiritus per corpus agit.* Sed hæc exceptio ad me non pertinet: qui locum illum non sic expono. Tum verò anathema Concilii Ephesini mihi denunciat. Sed verba Concilii Ephesini non sunt urgenda contra doctrinam Scripturæ sacræ: sed potius secundum illam interpretanda. Quartò obicit mihi auctoritatem primariorum (ut ipse suo more nominat) Sacramentariorum: ut qui corpori Christi non meritum solum, sed etiam efficaciam tribuant, & vitam ex substantia corporis Christi ad nos manantem. Verùm de his (bona ipsorum pace) idem respondeo, quod modò respondi de Conciliis. Ac si quis efficaciam nominare velit, quòd Christus sui corporis oblatione Deum nobis reconciliavit, remissionem peccatorum, Spiritum sanctum & vitam æternam est promeritus: de vocabulo non pugnabo, dummodo res ex verbo Dei rectè intelligatur. Nec simpliciter negavero vitam ex substantia corporis Christi ad nos manare: dummodo id intelligatur, non de arcana quapiam & miraculosa transfusione qualitatis alicujus vivificæ ex corpore Christi in nos, sed de favore Dei conciliato nobis passione hujus substantiæ. Etenim ex illo Dei favore vita fluit, ut scriptura passim docet.

CAP. IX. *An verbis Domini, Hoc est corpus meum, significetur aliqua corporis Domini cum pane presentia.*

PRæterea crassum mendacium satis impudenter vocat Hofmannus, quod nego verbis Domini, *Hoc est corpus meum*, aliquam corporis Christi cum pane præsentiam significari. Et opponit mihi Calvinum in Instit. lib. 4. cap. Pag. III. 17. sect. 10. ubi ait: *Atq; omnino isthac piis tenenda regula est, ut quoties symbola vident à Domino instituta, illic rei signata veritatem adesse certò cogitent ac sibi persuadeant.* At, inquam, ubi hîc dicitur, corpus Christi præsens esse *CUM PANE*? Fortassis Hofmanne, conaris id eruere ex adverbio *ILLIC*. Sed ex illius relatione ad præcedens adverbium *QUOTIES*: planum est, abusive dictum *ILLIC*, pro *TUNC*. neque enim Calvinus usquam (quod sciam) docuit, res signatas adesse *IN* vel *CUM* vel *SUB* ipsis symbolis, pane & vino. Quare etsi Calvinus adverbium illud dicatur intellexisse non de tempore, sed de loco: non tamen ad symbola respexit, quasi *illic*, id est, in ipsis symbolis res signata adessent: sed *illic*, id est, in illa sacra actione qua fideles videntes symbola, mentes attollunt ad res significatas, illasq; per fidem in verbo contemplantur: ut ita illæ præsentés sint non symbolis, sed mentibus ipsorum, quatenus illæ in istarum rerum contemplatione occupantur.

Cæterùm Hofmannus sententia illa mea, qua negavi, verbis Domini præsentiam corporis cum pane significari, rejecta: rationem quoque illius tanquam nugatoriam rejicit. Ratio.

Rationem autem meæ sententiæ in libello exposui his verbis: *Quod Dominus iis verbis non voluerunt significare, ubi suum corpus esset: neque enim erat opus, quum illud coram a discipulis conspiceretur.* Num tibi hæc ratio, Hofmanne, videtur nugatoria? At quomodo quid illis verbis significetur, melius declarabis quam ex ipso loquentis proposito? Et quomodo propositum de præsentia docenda melius negaveris, quam ex doctrinæ illius inutilitate: quum in tam sapientem magistrum non cadat, quicquam docere inutile aut non necessarium. At, inquis, CHRISTUS non visibilem illam præsentiam, secundum quam discipulis conspiciebatur, sed intimam sui præsentiam ipsis promisit. Esto: promiserit eis intimam præsentiam s u i. sed num hinc sequitur, eum promisisse intimam atque invisibilem præsentiam C O R P O R I S S U I? Non certè. Sed adducis pro te duo dicta CHRISTI, quorum unum extat Matth. 18. alterum 28. Sed cur illa non recitasti? Nempe quia vidisti, nullam isthuc præsentiam corporis commemorari. Etenim cap. 18. vers. 20. dicit CHRISTUS: Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Item cap. 28. vers. ultimo dicit, Ego sum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Estne autem bona consequentia: E G O: Ergo C O R P U S M E U M. quasi verò aliter non possit esse præsens: & quasi illic non



loquatur Christus de præsentia efficaciæ per suum Spiritum & divinam suam opem: quam quidem propriè promittit credentibus ac discipulistuis. Quid autem hæc ad præsentiam illam corporis Christi cum pane (qualem tu statuis) realem atque substantialem, & impiis cum piis communem? Nam asseveratio tua nullam vim habet, nec quèquam movere debet, quum de præsentia illa subjungis: *Qua certè carnis etiam est & sanguinis ipsius.* Ac tibi probandum erat esse, non asseverandum. Sed fac esse: num propterea erit substantialis? Ac quoniam dixi, quum Dominus pronunciaret illa verba, *Hoc est corpus meum*, non voluisse significare, ubi suum corpus esset: tu sapienter scilicet regeris: Imò Matth. 18. Dominum perspicuè orationem ad quæstionè de UBI accommodasse, nempe quum diceret, UBI sunt duo vel tres &c. Sed aberras, Hofmanne, tuo more à quæstione. Quæstio enim hic nobis est de verbis illis Christi, *Hoc est corpus meum*, non autem de illis, *Ubi sunt duo vel tres congregati, &c.* Deinde quæstio nobis est de præsentia corporis cum pane: de qua Christus in illo loco Matth. 18. nihil agit. Quare non est quod mihi hic ineptiam exprobes: sed potiùs tuæ te ineptiæ pudeat.

Tandem veluti corollarium annectis admonitionem de collectis à Johanne VVolfio locis Zvvinglii ad amoliendum crimen negatiæ profus præsentia. Ego collectanea ista non vidi: itaque de illis judicare non possum. nec sanè

fané justé á me postulaveris, ut alieni facti rationem reddam. Interim scias, me improbare præsentiam qualem tu statuis: quam ipsam illos quoq; quos tu mihi invidiæ causa objicis, improbasse constat.

Tandem zelo quodam erumpis, Hofmanné: & Dominum Jesum oras, ut audaciam meam re- Pag. 112  
 primat, qua principium controversiæ sacramentariæ repetam, & tam Calvinianam quàm vestram (id est Lutherana) sententiæ confidenter contradicam: hoc unice querens, ut *tu sine fine trahatur*, nullaq; ex parte concordia coalescat. Tandem oras ut Christus me meiq; similes vel convertat vel evertat.

At, Hofmanné, an libellus meus quem tu oppugnas, cum ulla audacia conjunctus sit: a quis lectoribus judicandum relinquo. De meo vero proposito, caritatis tuæ erat, non sinistra suspicari: sed professioni meæ in præfatione expositæ fidem habere. Ac nimium certé tibi arrogas, si sumis tibi potestatem judicandi cor meum: quod soli *καρδιογράωσιν* Deo perspectum est: cujus clementi atque misericordi judicio intrepidé illud subjicio; ut qui, licet aliás miser peccator, tamen in hac causâ bonam ac lætam conscientiam habeam: quippe probé mihi conscius, me aliud nihil agere, quàm ut pro ea gratia quam ipse Dominus mihi concessit, omnes meos labores ad illustrationem cœlestis veritatis, atque ita ad sanctæ Ecclesiæ ædificationem conferam. Ego veró clementissimum Patrem cœlestem oro, ut tibi


animum veritatis cupidum det: hunc enim adeptus, non est dubium quin ipsam quoque veritatem sis adepturus: cujus cognitio non poterit tibi non esse salutaris: si modò cum vero illius amore sit conjuncta.


F I N I S.

Πάντοτε δέξα Θεῶ.









QUÆSTIONES  
R H E T O R I C Æ  
TRES, DE VERBIS  
DOMINI,  
Hoc est corpus meum.

I.

*An in eis sit tropus.*

II.

*Quisnam in eis sit tropus.*

III.

*In qua voce tropus ille insit.*

Explicatæ per IOHAN. PISCATOREM,  
Professorem sacre Theologiæ in  
schola Herborenensi.



HERBORNÆ.

Ex officina Christophori Corvini.

clō 13 IXC.



QUESTIONES

RHETORICAE

LIBER PRIMUS

DE

FIGURIS

IN

ORATIONE

ET

IN

POETICA

ARTIBUS

LIBER SECUNDUS

DE

FIGURIS

IN

ORATIONE

ET

IN

POETICA

ARTIBUS

LIBER TERTIUS

DE

FIGURIS

IN

ORATIONE

ET

IN

CANDIDO LECTORI  
SALUTEM.

**M**irum prima fronte videbitur multis, candidè Lector, tres istas, quas mihi hic ad explicandum proposui quæstiones, à me nominari Rhetoricas: quæ tamen institutæ sint de re Theologica, videlicet de sacra Domini Cæna: sed qui penitus rem considerabunt, videbunt istud non rectè & convenienter quæstionibus hiscè à me attributum esse. Etsi enim quæstionum harum explicatio ad veram mysterij sacrae Cænae intelligentiam requiritur: ipsa tamen hæc quæstiones non sunt de ipsa in qua mysterium illud consistit, sed de locutione quadam, qua Dominus in mysterio hoc edocendo est usus. Quæritur enim, An verba illa Domini, **HOC EST CORPUS MEUM**, itemq; illa, **HOC EST SANGUIS MEUS**, quibus Sacramentum Cænae instituit, proprie loquendo, an verò per aliquem tropum ab ipso sint pronuntiata. At de tropo quærere, non est Theologi, quatenus quidem est Theologus: sed quatenus Rhetor. Etenim sicut Gram-

matica & Dialectica, sic etiam Rhetorica  
ars communis est: Cujus usus tam Theolo-  
go quam aliarum disciplinarum professo-  
ribus ac disputatoribus necessarius est. Ve-  
rum id quidem est, Questiones has non ni-  
si á Theologo, id est, homine sacrarum litera-  
rum & doctrina Christiana perito explica-  
riposse: Hoc tamen non obstat quo minus  
questiones Rhetoricae sint: quippe quarum  
explicatio á præceptis Rhetoricae dependet.  
Hanc autem commentatiunculam meam  
rogatu amicorum in lucem edere volui: bo-  
na spe fretus, fore ut simplici hac illarum  
questionum declaratione multi in vera de  
Sacramēto Cænae sententia confirmentur,  
nonnulli etiam ad veritatem in hac do-  
ctrina Christiana parte intelligendam non  
parum adjuventur: nempe ii quibus veri-  
tas cordi est, quique eam ex animo deside-  
rant ac querunt. Faxit Deus pater Domini  
nostri Iesu Christi, ut quod pie spero, id in  
quam plurimis eveniat; ad gloriam nomi-  
nis ipsius, & salutem illorum sempiternam,  
& denique Ecclesiae Christi adifica-  
tionem, Amen.

QUAE.





## QUAESTIO PRIMA.

*An in verbis Domini, Hoc  
EST CORPUS MEUM,*

*sit tropus?*

RESPONSIO.

**T**ropum aliquem in istis verbis in-  
esse, sic ostendo.

*Verba illa aut proprie dicta sunt, aut  
per tropum.*

*Non autem proprie.*

*Per tropum igitur.*

Propositio manifestam veritatem ha-  
bet: Etenim quicquid omnino dicitur,  
id aut proprie loquendo, aut per ali-  
quem tropum dicitur. Assumptionem  
veró sic demonstro:

*Cúm unum dicitur esse alterum pro-  
prie loquendo: tum aut idem de  
seipso aliter tantúm nominato di-  
citur, aut definitio de definito, aut  
definitum de definitione, aut ge-  
nus de specie.*

*At in verbis propositis nihil horum  
fit.*

*Non igitur propriè verba illa dicta  
sunt.*

Propositionis veritas nititur suffici-  
ente enumeratione partium : quas sin-  
gulas istis exemplis declarabo.

*Exemplum primæ partis.* Hic est filius  
ille meus dilectus, Matth. 3. v. ult.

*Exemplum secundæ partis.* Christus est  
filius D E I unigenitus, in plenitudine  
temporis homo factus ex Maria virgine.

*Exemplum tertie partis.* Filius D E I  
unigenitus in plenitudine temporis ex  
Maria virgine homo factus, est Christus.

*Exemplum quartæ partis.* Christus est  
filius hominis.

Hic tamen observandum est, plura  
quidem esse propriarum locutionum  
genera : veruntamen non ejusmodi  
quibus unum dicatur esse alterum, sed  
alterius particeps seu altero præditum.  
Cujusmodi sunt, quum de specie dici-  
tur differentia aut proprium aut acci-  
dens aliquod : ut, Homo est rationalis,  
Homo est risibilis : Socrates est sapiens,  
Socrates disputat.

Ac

Assumptionem sic demonstro.

1 Panis Cœnæ & corpus Christi sunt res disparatæ: Non igitur sunt una eademq; res. Ac proinde cum panis dicitur esse corpus Christi (id quod fit in istis Domini verbis) non dicitur idem de seipso.

2 Definitio omnis constat genere & differentia: At istis verbis *Corpus Christi* non significatur genus cujusquam rei: quia eis notatur species specialissima, quam vulgò individuum nominant. Ergo istis verbis non potest contineri definitio panis Eucharistici.

3 Similiter panis Eucharisticus significat certum & individuum panem. Non igitur istis verbis comprehenditur definitio aliqua: Ac proinde nec corpus Christi de illo pane tanquam definitum de definitione dicitur.

4 Corpus Christi non habere se ad panem Eucharisticum, ut genus: modo ostensum est probatione secunda.

Quum igitur jam sit demonstratum, verba illa Domini nō esse dicta proprie:



necessariò concluditur, per tropum aliquem dicta esse.

At verba ista Domini (aiunt nonnulli) verba testamenti sunt: Clara igitur & perspicua: ac proinde propria, non autem figurata, tropica, allegorica, anigmatica deniq;. Quasi verò nihil clarè aut perspicuè dicatur, nisi quod verbis propriis atque nativis dicitur! quasi non sint in usu plurimi tropi clarissimi & illustrissimi, atque adeò rem de qua sermo habetur! clarissimè illustrantes, Qualis nimirum tropus iste metonymiæ est, in Scriptura de Sacramentis usitatissimus: & quidem discipulis in istis Domini verbis vel ex collatione agni paschalis, in cuius locum coenam hanc sacram substitui videbant, ita clarus & perspicuus, vt de illius sensu sive intelligentia ne verbum quidem apud Dominum facerent: id quod certè faciebant, quoties aliquid obscure (hoc est quod ipsi non assequerentur) dictum esset. Quasi deniq; in testamentis condendis non sit locus locutionibus tropicis! Quid enim? an non Patriarcha  
Jacob

Jacob Genes. 48. benedicens duobus filiis Josephi, itemque Genes. 49. filiis suis singulis eventura prædicens, testamentum condebat? At illic ferè omnia tropicè dicta reperiuntur. Exempli gratia, *Ego do tibi (dicebat Josepho) partem unam supra fratres tuos: quam accepi è manu Amorraei, gladio meo & arcu meo.* Cùm dicit *Accepi:* non certè loquitur propriè, sed metonymicè, pro eo quod propriè dicendum fuisset, *Quam posteri mei ex te & duobus filiis tuis oriundi suo tempore vi armata accepturi atq; occupaturi sunt.* Sic de Iuda loquens, ait: *Non recedet sceptrum à Iehuda &c.* ubi per sceptrum metonymicè regnum intelligit. Deniq; Isascharum asinum, Danem serpentem, Naphthali cervam, Josephum ramum metaphoricè ibidem appellat.

## QUAESTIO SE- CUNDA.

*Quisnam ille sit tropus?*

RESPONSIO.

**D**ico esse in illis verbis metonymiam, nempe metonymiam subje-

Et, qua scil. subjectum de adiuncto, res  
 nimirum signata de signo dicitur. Hoc  
 quivis non contentiosus facile conce-  
 det. Omnino; Concedunt illi ipsi qui  
 tropum hic admittere nolunt, panem  
 esse symbolum seu signum corporis  
 Christi. At corpus Christi de pane (ut  
 iidem, saltem saniores, fatentur) prædi-  
 catur. Quid ergo? annon hinc firmo syl-  
 logismo efficitur atque concluditur, in  
 istis verbis rem signatam de signo enun-  
 tiari, ac proinde tropum Metonymiæ in  
 eis esse? Syllogismus in claram lucem  
 & conspectum ponatur ad hunc mo-  
 dum:

*Quoties res signata de signo (nempe  
 subjectum de adiuncto) dicitur,  
 tropus Metonymiæ est.*

*At in verbis Domini, HOC EST  
 CORPUS MEUM, res signa-  
 ta de signo (nempe corpus Christi  
 de pane) dicitur.*

*Ergo in verbis illis Domini tropus  
 Metonymiæ est.*

Huc accedit alterum argumentum:  
 Qua



*Qua ratione Circumcisio dicitur esse fœdus Iehovæ, itemq; agnus paschalis dicitur esse transitus Iehovæ: eadem ratione panis sacræ Cœnæ dicitur esse corpus Christi crucificum. Nam de similibus idem iudicium est: Sacramenta autem sunt res inter se similes: quippe quum eorum unus idemq; sit finis, nempe obsignare fidelibus promissionem gratiæ Dei.*

*Atqui in duobus istis prioribus enunciatis est Metonymia.*

*Ergo & in enunciato proposito.*

*Assumptio ex verbo Dei facilimè confirmatur. Nam Genes. 17. v. 10. Circumcisio dicitur esse fœdus Iehovæ, quæ eadem continenter v. 11. dicitur signum fœderis: quod nomen & Paulus Rom. 4. v. 11. ei tribuit. Sic Exod. 12. v. 11. & 27. agnus ille mactatus, dicitur pesach (id est trāsitus) Iehovæ, quia erat signū memoriale illius transitus, quo transiverat Iehova domos Israelitarum, percutiens primogenita AEgyptiorum. Unde de festo azymorum (quod ejusdem cum*

8  
festo paschæ rationis ei que annexum  
erat) dicitur cap. 13. v. 9. *Et erit tibi in si-  
gnum ad manum tuam, & in monimen-  
tum inter oculos tuos &c.* Demonstratum  
igitur jam est, in verbis illis Domini,  
HOC EST CORPUS MEUM, esse  
tropum Metonymiæ.

Quæ ipsa demonstratio ad altera quo-  
que verba pertinet quæ Dominus de  
poculo pronuntiavit, nempe, *Hoc est  
sanguis meus*: quippe quorum eadem est  
ratio. Tantum diligenter hîc observan-  
dum, non rectè illa vulgò cum veteri  
interprete sic efferri, *Hic est sanguis meus.*  
nam hoc latinis auribus perinde sonat,  
ac si diceretur, Hic sanguis quem de-  
monstro, est sanguis meus. At Christus  
cum diceret, τὸ ἐστὶ τὸ αἷμά μου, per pronomen  
τὸ non demonstrabat sanguinem  
suum: sed ostendebat poculum, & Me-  
tonymicè intelligebat vinum poculo  
contentum. Planè enim ut in verbis il-  
lis τὸ ἐστὶ τὸ σῶμά μου, pronomen τὸ ad pa-  
nem referri necesse est, sicut paulo post  
liquidè demonstrabimns: Sic in his ver-  
bis, τὸ ἐστὶ τὸ αἷμά μου, idem pronomen τὸ  
non

9  
non nisi ad poculum referri potest aut  
debet. Quod ipsum etiam manifesté li-  
quet ex recitatione verborum quæ ex-  
tat apud Paulum I. Cor. II. v. 25. ubi no-  
men poculi pronomini τὸ ad ipsum  
declarandum expressé adjungit, inqui-  
ens, τὸ τὸ ποτήριον ἢ ἡ γὰρ διὰ θύκην, &c. simili-  
ter I. Corint. 10. v. 16. verba illa Domini  
utraque sic declarat, ut pronomen istud  
τὸ in alteris quidē per nomen *panis*, in  
alteris veró per nomen *poculi* exponat:  
Sic enim ait: *Poculum benedictionis quo  
benedicimus, nōne communio sanguinis  
Christi est? Panis quem frangimus, nōne  
communio corporis Christi est?* Neque hīc  
valet effugium istorum qui dicūt, Pau-  
lum cū in verbis Domini mutat sub-  
jectum, id est antecedens enuntiati,  
mutare quoq; prædicatum, id est enun-  
ciati consequens. Imó neutrum mutat:  
sed utrumque explanat ac declarat: cū  
certum sit, Apostolum non alium sen-  
sum verbis Domini affinxisse, sed illum  
ipsum retinuisse quem Dominus fuerat  
secutus. Sicut enim Dominus verbis  
istis sacramentalibus docere voluit, sa-



rum illum panem & sacrum istud vi-  
 num divina testimonia esse, quibus ipse  
 discipulis ac omnino fidelibus omni-  
 bus testetur, corpus suū pro ipsis univer-  
 sis seu pro tota ipsorū multitudine cru-  
 cifixum iri, itemque sanguinem suum  
 pro ipsis universis in cruce effusum iri,  
 ad eis impetrandum remissionem pec-  
 catorum: sic etiam Apostolus fidelissi-  
 mus verborum Domini interpret hoc  
 ipsum, vocabulo *κοινωνίας* (id est commu-  
 nionis adhibito) etiamnum expressius  
 docere voluit: nempe sacra illa symbo-  
 la, panem illum inquam & poculum  
 illud, quorum in Coena fideles parti-  
 cipes fiunt, divina atque infallibilia  
 testimonia esse, quibus Christus ipse  
 testetur, ipsos universos tanquam u-  
 num corpus, cujus caput Christus est,  
 communionem inter se habere in cor-  
 pore Christi pro ipsis crucifixo, item-  
 que in sanguine Christi pro ipsis effu-  
 so. Deinde effugii illius falsitas mani-  
 festé perspicitur ex collatione versicu-  
 li 28. cap. 26. Matth. cum versu 25. cap.  
 11. epistolæ 1. ad Corinth. Apud Matth.

sic habetur, τὸ το γὰρ ὄσι τὸ αἷμα μου τὸ τῆς κενῆς  
 διαθήκης, id est, hoc est enim sanguis me-  
 us novi foederis: Apud Paulum verò sic  
 extat, τὸ το ποτήριον ἡ κενὴ διαθήκη ὄσιν ἐν τῆ  
 ἡμῶν αἵματι, Hoc poculum novum illud  
 foedus est per meum sanguinem. Hic  
 manifestè apparet, Paulum pronomini  
 τὸ το addidisse nomen τὸ ποτήριον, & ta-  
 men verba prædicati retinuisse, quan-  
 quam parumper inversa, sed eodem  
 manente sensu. Nam sive dicatur, po-  
 culum Domini esse sanguinem novi  
 foederis, sive novum illud foedus per  
 sanguinem C H R I S T I: utriusque  
 huius enunciati sensus unus est, nempe  
 poculum Domini esse sacramentum  
 ac testimonium divinum, quo Domi-  
 nus nobis testatur, sanguinem ipsius in  
 cruce effusum esse ad confirmandum  
 & sancendum foedus illud gratiæ, quo  
 remissio peccatorum continetur. Quo  
 loco & illa fallacia notanda est eorum,  
 qui dicunt prorsus similem loquendi  
 rationem esse in verbis D O M I N I  
 (prout ipsi citant ex vulgari versione)  
*Hic est sanguis meus novi testamenti &c.*

Matth. 26. v. 29. & in verbis Mosis (pro-  
 ut in eadem vulgari versione habetur)  
*Hic est sanguis fœderis quod pepigit Domi-  
 nus vobiscum*, Exod. 24. v. 8. Cum igitur  
 verba illa Mosis hunc sensum habeat, ac  
 si diceret, Hic sanguis quē vobis ostendo  
 quoq; vos aspergo, est sanguis ille fœde-  
 ris &c. hinc inferunt; verba quoq; Chri-  
 sti sic esse intelligenda, ac si dixisset, Hic  
 sanguis quem vobis ostendo, est sanguis  
 meus novi testamenti seu fœderis. At,  
 inquam, jam suprà á nobis demonstra-  
 tum est, verba illa Domini <sup>τὸ τὸ ἅγιον τὸ αἷμα</sup>  
<sup>μῶν</sup>, non rectē conversa esse, *Hic est san-  
 guis meus: sed reddenda esse, Hoc* (nem-  
 pe hoc poculum) est sanguis meus. De-  
 inde etiam si sensus verborum Mosis in  
 loco illo Exodi fideliter sit expressus (sic  
 enim expressit Apostolus Heb. 9. v. 20.  
 inquit, <sup>τὸ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης</sup>) scien-  
 dum tamen, in Hebræo ad verbum sic  
 extare: Ecce sanguis fœderis quod pepi-  
 git Jehova vobiscum. quasi dicat, Hic  
 sanguis quem vobis ostendo (ostende-  
 bat autem sanguinem holocaustorum)  
 est sanguis fœderis illius quod pepigit  
 Jehova



Iehova vobiscum: id est sanguis ad fœ-  
 dus illud sancendum adhibitus: qui  
 quidem sanguis adumbravit sangui-  
 nem Christi, quo novum fœdus sanc-  
 tum est, sicut ex verbis institutionis li-  
 quer, Luc. 22. v. 20. Marc. 14. v. 24. At “  
 aliud est (ait quidam) unum pro altero “  
 poni, & unum de altero prædicari. Met- “  
 onymia est, cum toga pro pace poni- “  
 tur. Metonymia verò non est, quum di- “  
 citur: Toga est pax: sed sic explicatur me- “  
 tonymia, & oratio facta est metaphori- “  
 ca. Hactenus ille. At, inquam, etsi duo  
 ista loquendi genera non nihil differunt,  
 tamen utrumque eodem sensu usurpa-  
 tur, & alterum ex altero efficitur: nam si  
 nomen rei signatæ rectè pro nomine si-  
 gni ponitur, ita ut hoc ex illo intelliga-  
 tur: cur non etiam rectè, & eodè quidem  
 sensu, nomen rei signatæ de nomine si-  
 gni prædicaretur? Confirmant hoc ex-  
 empla Scripturæ & veterum Ecclesiæ  
 doctorum. Agnus paschalis dicitur esse  
 pesach, hoc est, transitus Iehovæ: sicut  
 paulo-antè ostendimus: at idem agnus  
 etiam pesach nominatur: ita ut nomen

Pesach pro nomine illius agni ponatur:  
 ut Matth. 26. v. 17. discipuli dicunt, *Do-  
 mine ubi vis paremus tibi ad edendum Pa-  
 scha?* Et mox v. 18. Dominus iubet, ut suis  
 verbis cuidam in vrbe dicant, *Apud te  
 faciam Pascha cum discipulis meis.* Et rur-  
 sum v. 19. ipse Euangelista ait, eos para-  
 visse Pascha. Hic nomen Pascha (quod  
 corrupté dicitur pro Pésach) ponitur  
 pro agno: de quo eodem alibi prædica-  
 tur seu enunciatur, nempe Exod. 12. v. 11.  
 & 27. Sic veteres nomen corporis Chri-  
 sti ponebant pro nomine sacramentalis  
 panis, quum dicerent, *Corpus Christi in  
 sacra Cœna manibus tangi, in terram  
 labi, & id genus alia.* Etsi igitur non nihil  
 differunt duo illi loquendi modi, quum  
 unum pro altero ponitur & unum de  
 altero prædicatur: tamen utriusq; idem  
 sensus est, quatenus in utroque idem  
 tropus est. Fallitur autem, si quis purat,  
 in istis verbis, *Toga est pax*, orationem  
 esse metaphoricam. neque enim sen-  
 sus illorum verborum est, togam pa-  
 ci esse similem, sed togam esse pacis  
 insigne: quam esse metonymiam, ne-  
 mo

mo Rhetorices peritus non videt.

Sed reperiuntur hodie qui negant per pronomen *Hoc* in verbis Domini panem Eucharisticum, & nihil aliud demonstrari: contraque contendunt, pronomen illud referendum esse ad quippiam (quod ipsi fingunt) ex pane Eucharistico & corpore **D O M I N I** compositum, ita tamen ut principaliter ad corpus Domini referendum sit. Atque ita isti ponunt in verbis Domini Synecdochen integri, qua scilicet quod de composito enunciatum sit, de altera illius parte sit intelligendum. Hanc esse illorum sententiam, planum est ex iis quæ ad hoc declarandum afferunt exemplis. Dicunt enim, verba Domini eodem modo esse intelligenda, quemadmodum si quis centum daleros marsupio inclusos alteri tradens, dicat, *Das sind hundert thaler.* Item, si quis vinum in cantharo apponens, dicat, *Das ist wein.* Item si quis avenam sacco inclusam ostendens, dicat, *Das ist habern.* Consimiliter intelligendum esse contendunt quod Dominus



dixit, *Das ist mein Leib*: ita scilicet ut pronomen *Das* non referatur ad panem sacrae Coenae, sed ad corpus Christi in pane latens. At, inquam, isti falsum praesupponunt: videlicet corpus Christi in pane Eucharistico latere. id quod nulla ratione probari potest, & veritati corporis Christi ex diametro repugnat. Unde jam liquet, exempla ista verbis Domini similia non esse. Porro pronomen *Hoc* in verbis illis ad solum panem referri debere, ex ipso contextu plane evincitur: quippe cum nihil aliud praecedat quo referri possit. Narrant enim Evangelistae, Dominum accepisse *panem*: deinde fregisse, nempe illum *panem*: tum gratias egisse, nempe super illo *pane*, hoc est, gratiarum actione panem illum sanctificasse, seu ad sacrum usum destinasse. Praeterea dedisse illum ipsum *panem* discipulis: & postremo inter dandum dixisse, nempe de illo ipso *pane*, **HOC EST CORPUS MEUM**. Quis veritatis amans non clarè perspicit, pronomen *Hoc* in istis Domini verbis non aliò quam ad panem cujus mentio praecessit, referri posse? Restat

Restat ut eorum quoque sententiam  
 consideremus, qui in verbis illis Domi-  
 ni Metaphoram ponunt, fortasse ex eo  
 moti, quod corpus Domini pro nobis  
 crucifixum, simile est pani. Nam sicut  
 panis nutrit corpora nostra ad vitam  
 hanc naturalem, ita corpus Domini pro  
 nobis crucifixum nutrit animas nostras  
 ad vitam spiritualem. Quod quanquam  
 ita se habet: non tamen inde sequitur, in  
 verbis illis Domini esse metaphoram. Ne-  
 que enim questio hic est de corpore Do-  
 mini, quorsum illud nobis profit, sicut  
 Iohan. 6. ubi Christus ait, carnem suam  
 veré esse panem seu cibum: in quibus  
 verbis metaphoram inesse nemo recte-  
 sentiens negat. Sed questio hic est de  
 pane Eucharistico, quorsum ille nobis á  
 Domino institutus atque ordinatus sit,  
 nempe in sacramentum corporis ipsius.  
 Interim verum est, metonymicam istam  
 locutionem similitudine illa, quam si-  
 gna cum rebus signatis habent, tan-  
 quam fundamento niti. Sicut recte ju-  
 dicavit Augustinus, cum scripsit, Sacra-  
 menta earum rerum quas significant

similitudinem habere: quam nisi haberent, ne sacramenta quidem fore: atque inde fieri ut etiam nomina rerum quas significant, suscipiant.

## QUAESTIO TERTIA.

*In qua voce tropus ille insit?*

### RESPONSIO.

POSTEAQUAM demonstravimus in verbis illis Domini tropum inesse, cumq; Metonymiam esse ostendimus; restat ut etiam declarem, quanam in voce metonymia illa insit. Dico igitur eam inesse in verbo substantivo *Est*, idque sic probo:

*Metonymia illa est aut in propositionis illius subjecto, aut in predicato, aut in copula.*

*At nec in subjecto, nec in predicato est.*

*Est igitur in copula, nempe verbo illo substantivo EST.*

Propositio manifesta est, & apud omnes Logicæ peritos extra controversiam



fiam posita. Etenim omnis propositio categorica sive enunciatio simplex, ex his solis tribus partibus constat: subjecto inquam, prædicato, & copula.

Assumptionem sic probo:

1 Pronomen demonstrativum *Hoc*, quod in ista propositione locum subjecti tenet, refertur ad panem Eucharisticum, ut supra est ostensum. Et de pane propriè intelligitur.

Non igitur in eo est metonymia.

2 Nomen *corporis* quod obtinet locum prædicati, intelligitur de corpore Christi proprie dicto; ut planum est ex verbis quæ apud Paulum & Lucam adduntur, nempe *Quod pro vobis datur seu frangitur*. Certum est enim, corpus Christi proprie dictum, pro nobis in mortem datum & quasi fractum esse. Restat igitur ut metonymia illa insit in copula, nempe in verbo illo substantivo *Est*. Quæstio est enim, quomodo seu quo sensu panis proprie dictus, dicatur esse corpus Christi proprie dictum: nempe non proprie loquendo, sed per tropum metonymiam: quia nimirum significet

corpus Christi, siue signum illius sit. Et enim duæ istæ expositiones sibi mutuò non aduersantur, sed æquipollent: atq; adeò altera ex altera sequitur. Nam certè si panis ille Eucharisticus significat corpus Christi, sequitur eum esse signum corporis Christi: Et vicissim, si signum est corporis Christi, certè significat corpus Christi.

Si quis contendat, cùm verba Domini exponuntur sic; *Hoc est corpus meum*, id est, *Hoc est signum corporis mei*: tum tropum poni in prædicato: id aliquatenus concedi potest, nempe si intelligatur, tropum poni in prædicato quatenus est prædicatum: Est autem prædicatum ratione copulæ, quippe cuius vi subjecto attribuitur. Atque ita res eodem redit. Et omnino eadem est ratio prædicationis, quæ est nominationis. Etenim nomen ideo rei rectè tribuitur, quia rectè de re prædicatur. Verbi gratia, Nomen Herculis ideo rectè tribuitur statuæ Herculis, quia rectè prædicatur de statua Herculis, nimirum metonymicè: ut quum statua Herculis ostenditur, & dicitur,

E N

**EN HIC EST HERCVLES;** ac  
 proinde si quis statuam illam confrege-  
 rit, dicetur Herculem confregisse, ubi  
 jam nomine Herculis ipsa statua Her-  
 culis intelligitur. Cúm igitur metony-  
 mica appellatio pendeat á metonymi-  
 ca prædicatione: prædicatio autem o-  
 mnis dependeat ab enunciati vinculo:  
 consequens est, in metonymica prædi-  
 catione metonymiam ipsi vinculo in-  
 esse. At quidam contendit, in copula  
 istorum enunciatorum, *PANIS est cor-  
 pus Christi, VINVM est sanguis Christi,*  
 tropum non esse. Quum enim hæc co-  
 pula sit *συγκλητορὸν* (inquit) tropica  
 non erit, nisi infecto prædicato per ean-  
 dem figuram. Inficiatur sané, inquam,  
 prædicatum eodem tropo: quid tum  
 postea? Equidem hac in re nihil est ab-  
 surdi. Nam siue Metonymia in prædica-  
 to siue in copula ponatur: hoc est, siue  
 verba Domini exponantur ad hunc mo-  
 dum, *Hoc est signum corporis mei;* siue ad  
 istum, *Hoc significat corpus meum:* utro-  
 biq; idem sensus est. Sed cur copulam  
 vocat *συγκλητορὸν*, id est, aliquid quod



Quia cum prædicato prædicetur? Tra-  
 dunt quidem interpretes Aristotelis,  
 verbum *καταρητικόν* esse interdum *κατηγο-  
 ρούμενον*, ut in enūciatis quibus responde-  
 tur ad quæstionem An sit: ut Deus est,  
 Angeli sunt, Purgatorium non est: in-  
 terdum verò *περὶ σκετηγορούμενον*, quasi di-  
 catur apprædicatū, eó quód prædicato  
 apponitur vel potius præponitur, ut  
 ipsum de subiecto enuncietur: & tunc  
 rationem vinculi seu copulæ habet, nec  
 ipsum met prædicatur, sed instrumen-  
 tum est, quo mediante prædicatum sub-  
 jectō attribuitur. *συγκατηγορούμενα* autem  
 nominari poterunt eæ voces quæ ad  
 principale prædicatum pertinent: ut  
 si dicatur, Christus est filius ille DEI  
 viventis. Hic principale prædicatum  
 est *Filius*: reliquæ voces sunt *συγκατη-  
 γορούμενα*. Ex his apparet, isto argumen-  
 to nihil contra tropum in vinculo con-  
 cludi.

Verum enim verò non desunt, qui fa-  
 teantur quidem, panem Eucharisticum  
 corporis Christi esse signum sive sym-  
 bolum, sed symbolum corporis cum  
 pane

pane præsentis. Id quod probare conatur exemplo columbæ quam Ioannes Baptista vidit descendere super Iesum, quæ columba nominatur in Scriptura Spiritus sanctus, eo quod symbolum esset Spiritus sancti, hoc est, quo significabatur Spiritus sanctus. Sic enim scriptum est Iohan. I. v. 33. *Super quem videris Spiritum sanctum descendentem ac manentem super eum, hic est qui baptizat Spiritu sancto*: tum addit, *Ego igitur vidi &c.* At quid vidit nempe columbam: ut narrat Matthæus cap. 3. v. 16. *Spiritus* igitur nomen in Ioanne ponitur pro nomine columbæ, quæ symbolum erat Spiritus, per metonymiam subjecti. At columba symbolum erat Spiritus sancti præsentis. Ergo pari ratione panis Cœnæ Dominicæ, symbolum erit corporis Christi præsentis. Nego consequentiam: quia non est parratio: quum Spiritus sanctus infinitus & ubiq; sit, corpus verò Christi finitum & uno tantum in loco. Quod si dicatur, Columbam illam fuisse symbolum non generalis illius præsentia, qua ybique est Spiritus sanctus,

coelum ac terram replens: sed praesentiae  
 cuiusdam singularis, nempe gratiae sin-  
 gularis qua adfuit humanae Christi na-  
 turae per sua dona: Concedo: sed talis  
 praesentia non potest adscribi corpori  
 Christi: cum gratia & efficacia dono-  
 rum, non sit corporis Christi tanquam  
 causae agentis, sed ipsius personae Chri-  
 sti, quatenus uná cum Patre per Spiri-  
 tum sanctum in cordibus electorum est  
 efficax. Hoc est quidem verum, Chri-  
 stum corpore suo, quatenus illud pro  
 nobis in cruce obtulit, impetrasse nobis  
 á Patre gratiam illam & efficaciam Spi-  
 ritus sancti: sed ipsum tamen corpus in  
 nos nihil agit, nec in animas, nec in cor-  
 pora nostra. Non igitur prorsus similis  
 est ratio, quum columba illa nomina-  
 tur Spiritus sanctus, & eius symbolum  
 esse dicitur: & quum panis Coenae nomi-  
 natur corpus Christi, & eius symbolum  
 esse affirmatur. Corpus enim Christi  
 nec per essentiam nec per efficaciam  
 cum pane est: sicut Spiritus sanctus erat  
 cum illa columba per essentiam, cum  
 Christi veró humanitate per efficaciam.

Hic



Hic quæret fortasse aliquis ex me, an non igitur concedam, verbis illis Domini, **H O C E S T C O R P U S M E U M**, significari aliquam corporis Christi cū panis præsentiam? Non concedo, inquam. Quid ita? Quia, inquam, Dominus iis verbis non voluit significare, ubi suum corpus esset: neq; enim erat opus, cū illud coram a discipulis conspiceretur: sed docere tantum voluit, quid sibi velit iste panis, seu quem ad usum sanctificaverit istum panem fractione & gratiarum actione. Hanc enim doctrinam haud dubie expectabant a Domino discipuli: quippe qui sciebant, Dominum nihil temere aut sine gravi causa agere; eidemq; constare, se jam satis pastos esse, famemque ac sitim explese. Docuit igitur eos, panem hunc esse corpus suum quod pro ipsis & tota multitudine electorum paulo post sit crucifigendum, ubi quis sacrarum literarum peritus, non facile videt, locutionem istam esse sacramentalem, ac proinde metonymicam? quippe qua nomen rei significatæ ipsi signo tribuitur. Et discipulos verba

Domini sic intellexisse, ex ipso eorum silentio apparet. Qui si Dominum de re quadam insolita ac miraculosa loqui putassent, interrogassent eum: id quod in rebus etiam minoris momenti facere consueverant.

In summa, nihil refert siue adsit corpus Christi (ut in prima Coena) siue absit (ut post ascensionem ipsius in caelum) panis ille semper sacramentum eius est; hoc est sacrum signum ac testimonium divinum, quo Christus fidelibus testatur, se corpus suum pro ipsis in cruce obtulisse patri ad expiandum ipsorum peccata, atque ita ad patrem eis placandum, gratiamque illius erga ipsos promerendum. Quod qui credit atque ita testimonio huic divino fidem habet, is hoc ipso vescitur spiritualiter corpore Christi crucifixo, dum scilicet acquiescit in gratia Dei sibi per illud reconciliata, atque ita in Deo gaudet & vivit. Quibus maximis Dei erga se beneficiis qui contentus non est, sed praeterea ipsius corporis Christi praesentiam nescio quam in pane sacrae Coenae, vel etiam in suo corpore

aut

aut anima desiderat: is nunquam satis  
 perpendit, quanti sit testimonia divina  
 & veluti sigilla habere, per quæ de re-  
 missione peccatorum & vita æterna per  
 Christi mortem parta certi simus. De-  
 niq; doceantur simplices, quis sit usus  
 quæq; vis sacramentorum, divinorum  
 inquam illorum testimoniorum: nem-  
 pe, Christum per illa nobis repræsentare  
 & in memoriam revocare mortem su-  
 am: ut pro illa á nobis solemni gratia-  
 rum actione celebretur, & nostra fides  
 hac exercitatione confirmetur atq; au-  
 geatur. Qui ut fines sunt huius sacri in-  
 stituti, ita eosdem virtute sui Spiritus ef-  
 fectos dat in electis suis. Quo fit ut non  
 sint nuda & inania signa, sed signa effi-  
 cacia, hoc est, organa Spiritus sancti,  
 quibus ille potenter utitur ad fidem in  
 electis confirmandum, atque ita ad  
*κοινωνίαν* ipsorum cum Christo augen-  
 dam: non secus ac ipso Euangelio ad fi-  
 dem tum gignendam tum alendam uti-  
 tur; unde illud ab Apostolo Paulo po-  
 tentia DEI nominatur ad salutem o-  
 mni credenti, ad Roman, I.V. 16. Quare



1347600

25

Scripturæ vestigiis insistentes, naturam  
ac vim sacramentorum declaremus to-  
tam in mystica significatione & effi-  
cacia divina Spiritus sancti  
positam esse.

FINIS.

